THEOPHYLACTI SIMOCATI OPVSCVLA

quæ haberi potuerunt, omnia:

IACOBVS KIMEDONCIVS F. e Græco vertit, & Caſtigationes addidit.



Apud Hieronymum Commelinum.
CIↃ IↃ XCVIII.

Digitized by Google

KAROLO VTENHOVIO NIEVLANDIÆ &c. Dn. VIRO nobiliſſimo, doctiſſimo, IANVS GRVTERVS

Simocati iſthæc quæ vides, inſcripſerat nomini tuo Kimedoncius noſter, Colonia Agrippina redux: partim teſtandæ gratitudini; quod dum iſthic apud vos ageret, nullo non beneuolentiæ ac prothymiæ genere eum proſecutus fueras: partim quoniam & Græcas literas, & ætatem eius, quæ pueros vix exibat, optime nouiſſes: ideoque & errantem corrigere humaniter, & erratis comiter veniam dare poſſes. At enim vt Menandrino verſui fidem adſtruxit:

Ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος,

fatisque ac Deo viſum, eripere ipſum rebus humanis quũ ſolummodo vixiſſet annos ſeptemdecim, menſes IX. dies VIII. quod ipſemet præpropero abitu impeditus præſtare nequiit, id ego nunc præſto: opus, ſpero & tibi pariter & defuncto gratum acceptumque. ideoq; ſimile quid mox facturus circa vtriusq;, Philoſtrati Imagines Heroica, Epiſtolas, &c. nec non Deſcriptiones Calliſtrati, Alciphronisque Epiſtolas, quæ omnia vertit Latine. ſi minus accurate, quid mirum? imo quid tum? ſatis eſt æſtimationi hominum ſubieciſſe, quantos qualesque fructus hæc arbuſcula latura fuiſſet, paulo maturior, quæ iã tunc præcocis ingenii luxuriabat floſculis & colore ſimul & odore commendabilibus quo paris ætatis

vix digitali aſſurgant frutice, nedum inoculentur decore aliquo gemmeo. Tu ſane, Vtenhoui, iſtud quicquid eſt, libens excipies, ſcio, & fouebis; tam Kimedontii nomine, quam meo, cui tam multiplici, & patria, & propinquitatis, & communium literarum, aliarumque neceſſitudinum vinculo coniungeris.

DE THEOPHYLACTO, ET eius ſcriptis.

THeophylactus hic genus quidem ab Ægyptiis duxit, vt ait Photius, ſed natus fuit in Græcia, vt ipſe de ſe teſtatur, in præfatione dialogi. Præfectura alibi functus eſt, & munere quod vocant ſcripturarii. Ita enim interpretor *ἀντιγραφέως*, ex Lucillio lib. XXVI. *Publicarum rerum aſſueſiam, vt ſcripturarius.* vide Nonium. Chriſtianum fuiſſe apparet tum ex aliis, tum quod ſecundæ dialogi partis præfat. Bacchum vocat fabuloſum Deum. Exſtat hodie eius hic dialogus, & politiſſimus, & argutiſſimus. Epiſtolæ etiam quibus terſiores aut doctiores eſſe vix poſſunt. Hiſtoriæ eius ſupereſſe dicuntur in Vaticana Romæ. Nam hæc quæ interpretamur, ἐκλογαὶ ſunt, ſiue Excerpta. E legationibus omnia verba ſunt Simocati, ſi modo particulam ὅτι abiicias, quam nos a reliquis, quia excerptoris eſt, ſecreuimus.

THEO-

THEOPHYLACTI SIMOCATI,

DIALOGVS, *de diuerſis aliquot quæſtionibus phyſicis, earundemque ſolutionibus.*

PRÆFATIO DIALOGI.

HIrundines maternos cantus ſecundum modulos muſicos edoceri percepi a matribus. non enim indoctæ prolis audire mater ſuſtinet hirundo. Docent eæ igitur ſuos fœtus vrbes inhabitare, & apud homines canere, ac circum ſuperiores ædium partes carmine perſtrepere concinno. Agite ergo, agite canendi vos peritiſſimum collegium, date puero facundiam ac theatro accinere me docete,& oden Atticam perſtrepere,diſcentem iam primum muſicum aſcendere pulpitum. quod ſi vero nonnihil aberrauero a rhythmis, liberaliter vos ea ſupplete quæ deficiunt: quemadmodum illa in Locrenſi Eunomo melodiæ ſocia cicada. Viſum eſt & Teucro militare, & amare tropæa, ac in acie collocari. Quare proiectu clypei defenſus ab Aiace; ſagittas quidem Teucras emittebat dextertime: Aiax tamen ſuppeditabat ſtrenuitatem. Ita vos,viri doctores, tanquam clypeum adhibete veſtram beneuolentiam, & applauſus hodie mihi ſit pro armis, victoriamque ſcio reportabo, etiamſi non barbaram terram calcauero. quod ſi maternam artem nondum ſum adeptus, at eſt tamen idem mihi vobiſcum genus, & ſermonem ſeruo patrium, noſtraque ſunt,vel ſaltem Græca.

DIALOGI PERSONÆ,

ANTISTHENES ET POLYCRATES.

Cur adamas non comburatur, ac naturam ignis nequaquam ſentiat. I.

ANTIST. Ariſtagoram Timoclis filium diu iam Polycrates in Lyceo non vidi numquid forte, numquid in Siciliam abiit, crateras igniuomos viſum, aut Indicum ſinum circumnauigat, vt aliquam ſapientiæ ſibi comparet ſcientiam? POLYCRAT. Reuera vt dicis Antigenes, ſiquidem Athenis cum abfuerit Apollogenes Corinthius heri forte obuiam nobis, circa variam porticum Ariſtagoram dixit vidiſſe. Ariſtonem vero Phyſicum & Soſipatrum Hermogenis filium, circa Leocorium eodem die redeuntes vidiſſe ſignificauit. ANT. Vnde tandem, Polycrates? POL. Poſtquam Euxinum perluſtrarunt ſinum, multis nimis & maximis exerciti laboribus, mercis nobis loco quaſi aureum quoddam vellus iactatas iſtas viſarum rerum cognitiones aduexerunt. Amor enim eos ſcientiæ cum cepiſſet, irritauit quaſi ambos, & ad inſpectionem luſtrationemque rerum exterarum incuſſit thyrſum. Inſtimulauit namque, inſtimulauit eos, vt Mœotim paludem luſtrarent, anne curua eſſet, quod ad ſitum. nouem vero millia ſtadiorum eam terminãt ac definiunt, vt prædicant geographi, fide digna ad eam rem vſi demonſtratione. Dicunt etiam phyſicas aliquot rationes fuiſſe propoſitas a Pericle Corinthio, quem obuiam habuerint prope Boſporũ. inde ſermones ac ſpeculationes in vrbe ortæ ſunt, & vnuſquiſq; in id incumbit, quo pacto magnum aliquid

aliquid ſit dicturus, ac elegantia doctrinæ alius alium antecellat. Peripatus cum ſtoa certamen habet, ſtoa cum Pythagoreis committitur, & Academici Epicureorum diſſertationibus non ſunt contenti, bellumque quoddam ſine ferro per Græciam eſt motum. ANT. Age igitur ſis optime, rem nobis narra hanc. vt namque vides, ad cognoſcendum mentem arrigo, & venas ſcientiæ vt inueniam ſcrutor, ſicut metallarii, quando precioſiſſimæ cuiusdã materiæ venas viderint. POL. Non de paruo aliquo linguæ, ſermones & contemplationes inter ſe digladiantur. Adamantinum enim quoddam inſtitutum eſt bellum, ac naturæ euoluunt myſteria. Dicunt enim Periclem dicere, quod e natura ſit adamantis, ne comburatur, quodque reſiſtere poſſit omniuoro igni. Hoc o amice, Philoſophorum perturbat turbam, & ad indagationem tanti ſecreti excitauit. Nam talibus iſte Corinthius nos capiens vinculis, quaſi in Scythico quodam a quo exiri non poteſt, cognitionis Labyrintho recluſos, coegit & arctauit. ANT. Exponam tibi naturæ aliquod opus Polycrates, quoniam te elegantem hominem, ſermonumque doctorum ſtudioſum video. Etenim amico bonum vllum pulchrumque neutiquam cælauero, ſecundum Cyrenæum. POL. Age ſis igitur Antiſthenes, ſermo ducatur de ea re, de qua ſolemus inter nos conſilia cõmutare. ANT. Subtiliſſimi pori ꝓpter nimiam ſoliditatem ſunt in adamante, qua ꝓpter & ferrũ nihil in eum poteſt. Neq; enim ſcalpitur, neq; frangitur ob nimiã denſitatẽ. inde flãmam non ſentit, quaſi prohibentibus poris, ac omnino obſiſtentibus, ne lapidem ignis natura penetret.

cumque ita nulla ſit commixtio, diſſociantur. diſſociatorum vero diſiunctorumque nullus ad ſe inuicem eſt habitus. Adamas igitur cum igne coniungi nequit, quare neque aduritur, & ignis naturæ hoſtiliter aduerſatur. ferrum contra & aurum ignis naturam recipiunt, vnde illa aut liqueſiunt aut molliuntur. equidem ſane propter maiorem ariditatem, combuſtioni non eſt obnoxius adamas. Nam omne quod liquefit, plurimum neceſſario habet humoris. POL. Euge hunc ſermonem! adamantinis quaſi verbis de adamante expoſitionem hanc variaſti, per ſane ipſum adamantem, aut ſi quid adamante eſt infractius. Fortior autem nobis eſt adamante veritas. Sed age ſane, & famoſum illud & inſigne Corinthii iſtius inſpiciamus problema. ANT. Quodcunque volueris, conſule.

Cur aquilarum penna aliarum auium pennis addita, corrumpant eas. II.

POL. Corrumpere dixit aquilarum pennas additas forte & coniunctas iis aliarum auium pennas, quaſi & hac in parte tyrannidē ſibi vindicaret aquila, & ſolis pennis, cum eis eſt exuta, nihilominus regiam obtinere vellet poteſtatem. quæ ratio eſt, Antiſthenes? opera naturę mihi interpretare. AN. O Corinthium, vt myſtica quadam ſcientia hic ſapiens eſt refertus. Ceterum dicam tibi quid Polycrates, tu vero attentam præbe aurem, & Sireneam vocem audies, quemadmodum aliquis Ithaceſius ad has accedens, quæ cygneum quoque melos exſuperent, cantilenas. POL. Dic igitur, o optime; AN. Grauiſſimi odoris ales eſt aquila. vnde cum ſit vt

cum

cum prædam illa ceperit, non poſthac præ fœtore eius reliquias aliquando acceſſeris, neque ſi heri modo, amice, venata fuerit, ſed nec reliquæ volucres veſcuntur. Eodem enim die adhuc putreſcũt, quaſi vel Phinei cuiuſdam, vel Harpyiæ conuiuii forent reliquiæ. quare ſimiliter etiam corrumpunt aquilarum pennæ: quia naturæ ſunt putredinoſæ. ac ideo nequaquam ſeruari poterunt aliarum auium pennæ, ſi cum aquilinis fuerint cõpoſitæ. Nam ſtatim abſumuntur.

Cur elephanti non prius bibant, quam aquam conturbauerint. III.

POL. Nimis ſapienter, o amice. Sed intuere mihi Apellis, Antiſthenes, tabulas. admiratus ſum picturæ, mi homo, ornatum. ſpecta mihi Indicum hoc animal, quomodo qui picturam fecit, optime illud expreſſerit. Elephantum fertur non prius bibere, quã aquam proboſcide, collutu lauerit. ANT. Non fictum eſt, quod fertur. exhorret vmbram ſui in aqua viſam elephas. quapropter & Indos obſeruare illunem noctem dicunt, quando transfretare volunt hoc animal. Narciſſo iſti, quem fabulæ celebrant, exemplo eſt elephas, vt ſua ipſius vmbra declinata, amores auerſetur a natura alienos.

Qua ratione torpedo piſcis per lignum quod inter medium retis eſt & manus, faciat morbum ſui cognominem, & piſcatorum manus reddat torpidas. IIII.

Amo contemplationis vim. quam gnarus admodum tu es interpretandi rationem naturæ. Sed agedum ſane de torpedine ſermonem mihi expone.

torpeatque ſuperba Corinthii lingua, problemata de torpedine iactitans. Marinos aiũt piſcatores, ſi quando torpedo reti capta ſit, manus affici, niſi ſtatim rete deuinciant a pertica. Quomodo vero, o amice, per lignum piſcatores lædit hoc animal? ANT. In mare miraculorum linguam, quemadmodum Pericles, mouiſti. intra cognitionis terminos mentem tuam cohibe, qui quaſi Atlanticum contemplationum pelagus tibi vis narrari. Ego autem tuo Polycrates in hoc amori breuiter obſequar. POL. Dicas igitur, o generoſe. Vrbani enim videntur mihi & vtiles hi ſermones, qui proponantur. Non a te recedam hodie, non per optimum hunc meum amorem. ANT. Iucundiſſima forte aeris eſt natura, reſona, ſuda, odorata. quæ omnia in aere diuinæ quædam curæ optime procurarunt, vt illius ita opera recrearetur ac reficeretur iſthæc terræ regio. multarum igitur paſſionum effectuumq; cauſator hic eſt. Quod enim qui laborant ex oculis, in eos qui in ſe intuentur, morbi ſæpe partem transfundunt, per aerem certe fit circumſtantem interſtitii inſtar, vnde valetudo nobis & inualetudo. Itaque per medium aerem torpedo quoque vitium poteſt inferre nõ procul abſiſtentib. etiamſi non tangatur. Dabo vero tibi etiam huius exemplum. Magnes, quem Heracleum quoque lapidem vocant, a ferro diſtat, nihilominus per medium aerem videmus operari lapidem in ferrum. Iam vero communis illa affectio, in palma arbore, cuius mentem non percellat? cuius auditum non obſtupuit? Diuerſus primo ſexus eſt, diſcretaque femina. deinde vicinis infert ſe maſculo exiſtentibus & femina videas vtiq; femi-

feminam mittentem ramos, tanquam comam amatoriam, ad maſculum: conſentientemque in coitum, ac turgentem. poſtquam vero non pertingunt huius quandoque ad marem rami, argute huic amori ſubueniunt inſitores. Perticis enim ipſam aut viminibus circumligant maſculo, & ſic percepta voluptate femina curuationem exit, & ad morem veterem ramos reuocat, vt quæ maſculi per perticas illas habuerit copiam. abſurdum ergo neutiquam, ſi torpedo quoque piſcatores per medium, quod intercedit, lignum, afficiat.

Cur cerui, cum cornua deiecerint, conſueta loca fugiant. V.

Pol. Doctum ſermonem, frater inprimis naturæ mihi videris eſſe, Antiſthenes. Sed e mari in terram tranſire amat ſermo, ac in continentem auet deriuare contemplationem. Ceruos Corinthius iactauit cum cornua abiecerint conſueta loca fugere, quaſi pudeat illos huius inornatus, quātiſpe ad eſt. Ant. Putauerit equidem aliquis ludere forſitan Periclem Polycrates, aut quodammodo corybantiare, vel inſanire, qui nugacem hanc quæſtionem adferat. ego autem virum admiratus ſum, ſtudiumque in eo contemplationis veneror. Sed an videtur ad hanc platanum paulo deſidere. cum præſertim denſa ſit platanus, & quod ad trunci longitudinem vmbramque, perpulchra. Pol. Atqui perge. Ant. Igiturne fili Soſiæ putas, putasne inquam cornu abiicere ceruum? Pol. Dico ſane. infinities hoc vidi, quando quidem ætate puer eſſem, ingenio vero rudior, rebus venatoriis addictus

magis, cum ſpeluncas & colles mirarer, ac in vmbroſis montium verticibus ſtabularer. Ant. Ceterum igitur dicam & ego, cur tandem ſtationes conſuetas fugiant, cum cornu iis quaſi eſt abſtonſum. Senſus eſt in brutis animantibus, Polycrates, quo dirigente ſe ſuamque ſalutem tueri norunt. Nouit ſepia atramenti ſui dolum, quo ſe piſcatoribus facit inuiſibilem. ſciunt animalia quæ curuis vnguibus ſunt, ſuas vires. Scit lepus curſu pedumque velocitate, venatoris inſidias euitare. Scit etiam ceruus detonſus cornua, quod ii qui vim faciunt, inuadant naturam ſe imbecilliorẽ. quocirca abſcõditur veluti miles aliquis exarmatus aciem veritus, ac pocul alibi a pugna abeſſe cupiens. grauiſſimo præterea capitis dolore animal hoc affligitur. Atque hæc natura ſcit, quibus philoſophia eſt initiata.

Ruta cur ſerpentibus ſit contraria. *VI.*

Quam dexter, amice, venatores, maximam Peripato venatus ſcientiam. nunc nos ſonoræ circumſpirant auræ pulchram ſubter platanum, vnde pulchrum eſt haurire ſermones. Age ſis itaque ad Libyca me deducas hoſpitem miracula. Ibi enim quod hominum opinionem excedat, ait iſte vidiſſe Corinthius, auſugere ſerpentes a ruta, tanquam virtutis cuiusdam repulſiuæ. Qua id mente fiat, reſponde tuo Polycrati, velut ex tripode profatus oracula. Ant. Sciſcitandi nimis es ſtudioſus Polycrates. me vero, prudentiam iuro, latuit. Sed quoniam & ad hæc etiam cognoſcenda perueniſti, ad hunc quoque ſermonem nos non habebis imparatos. Frigida quidem, & arida neruoſaque natura

ſerpens eſt. Sit autem hoc tibi veritatis ſignum. tempore hyemali, quaſi antra quædam latebras amat ſerpens, & ad infima terræ ſe penetrat profunda, quæ vtique ſunt calidiora hyeme, & ad calorem idoneam habent manſionem. rurſus vero æſtate, ſerpens in ſuperficie verſatur terræ, & ſuper terram apparet. ac nouit ſerpens temporum verſiones, nō initiatus aſtronomicis, vel vllis Chaldæorum argutiis. Ruta igitur Libyca aridiſſima eſt, & cito, quaſi crapulam quandam tenebricoſamque caliginem gignens in ſerpentibus, eos exanimat.

Qua ratione oleum per mare diffuſum, malaciam inducat. VII.

Pol. Conſentaneus mihi nimis hic eſt ſermo, & veritatis ſimulacra referens. mihi vero iam rurſus amor in mare egredi. Cum enim animus meus peruiderit telluris miracula, in mare ſe vult proripere. Quandocunque mare nauigat, profundi iſta miracula mitti amat, & capitur eorum contemplatione, quæ fiunt in terra. Ant. Siquidem igitur iterum ſermonibus eſt opus, dic certe mihi, dic qua tibi nauiget contemplatio? Pol. Nautas audiui infuſo oleo tranquillitatem aucupare maris, quaſi placatum eo modo conatos reddere, quando exæſtuat. Sic vero etiam piſcatores in capiendis piſcibus facere ſolent. Ad hanc me theoriam ſermone, quaſi lembo quodam admitte, Antiſthenes. Ant. Tenuiſſimæ materiæ ventus eſt, Polycrates: oleum vero lubricum & leue. quocirca prolapſus ex hac lubricitate ventus, æſtum per aquas coaceruare non

poteſt. vnde ridet in mari tranquillitas, humano velut oleo ſedata.

Cur triennium ferant vultures. VIII.

Adhuc te inhibebo, & nondum remittam, Antiſthenes. voluptatis enim amor conceptæ ſaturari non patitur. Vultures eſſe grauidas triennale tẽpus Corinthius fabulatur, & alienum videtur mihi eſſe a naturæ legibus. nusquam enim audiui talem fabulam. Ant. Multa inter aues genera non opus habent maſculorum copulatione ad cõceptionem. Sed alia quidem quæ ventoſa ſunt, non pariunt. vultures autem vt ſine marium coniunctione pariant, naturæ ferunt leges. vulturem itaque videre non eſt maſculum, ſed omnem ſexum iis intercluſit natura feminæ: quod cum ſciant vultures, orbitatem veriti liberorum, in conceptionem omne genus incumbit, quemadmodum Lemniades mulieres heroum videntes appellentem claſſem. multiplices deinde nectunt vultures aſtutias. aduerſus Notum ventum volitant. quod ſi Notus non ſit, ad affinem ei Eurum expandunt alas. poſtea hiatant, ac ita vento influente replentur: & pariunt nõ oua ventoſa, ſed fœtus viuos. idcirco plurimo tempore natura opus habet, vt animal perficiat, Polycrates. Difficile namque & operoſum nimis eſt naturæ, animali dare eſſentiam, & ad animalis perfectionem producere id quod eſt tenuiſſimum.

Cur polypus mare Ponticum auerſetur. IX.

Pol. Ego quidem putabam nugari Corinthium, Antiſthenes. capti ſumus, & veritatis retibus lubenter

benter irretimur. Igiturne huc vſque ſaltem ſapientæ diſſertatio? Abſit ſane, abſit. non enim dimidiam abibo ſcientiam habens. circa pontum piſces omnes dicunt cõmeare, polypum vero circa ſinum Boreum nullum eſſe. ANT. & valde veriſimiliter, Polycrates. polypus enim in ponto nullus eſt. Nam alii piſces refrigeratione opus habent, & potabiles aquas perſequuntur: alii vero calorem amant, & ad mare reuertuntur, quod calidius eſt omnibus aquis ceteris. Polypus autem mari Pontico aduerſatur, quia frigidius eſt Boreum pelagus, ſed etiam reliquo mari dulcius, propterea quod in id multi magnique fluuii influant. contraria vero polypo & frigus & dulcedo. ad demonſtrationem, quod dicam, idoneum eſt. petrę connexus polypus inauulſe hæret. ideo dulcem ſuffundunt aquam petræ periti piſcatores. & hi quidem quæſito captu fruuntur, ille vero a ſcopulo, cui ante tam tenaciter hærebat, facile nimis auellitur.

PRÆFATIO AVSCVLTATIonis ſecunda.

Semeles filium Dionyſum, potius autem Iouis, (Nam dupla Dionyſi ex Ioue natiuitas) Iouis igitur filium Dionyſum, cum forte abortiuum depoſuiſſet mater, & puer ſemiperfectus fabuloſus hic eſſet Deus, ſub femine pater abſoluit prolem, ac iterũlatus eſt Semeles filius Dionyſus. Semidictos mihi ad finem producite ſermones, viri doctores, penes quos eſt perfectio. non enim imperfectos orationis fertis partus. Amabat olim Pan. amabat autem Pan ſeipſum, ac vocis erat reſonatio, quod a-

mabatur, etiam ſi Pana latuerunt fraudes inſonuit, & amatā ſenſit, abſtinuit a cantu, ac diſparuit quod amabat. Canam igitur & ego. reſonabit enim ſcio collegium, & amatos ego plauſus ſentiam. etiamſi præter dignitatem & meritum eorum, quæ dixero, laus illa ſit futura.

RELIQVA DIALOGI.

Qua ratione ſanguis hirquinus molliat adamantem. X.

Pol. Curioſis indagandi animis ſatietas non obtingit cognoſcendi. Nondum igitur ad metam ſermo, Antiſthenes. Nam aures mihi ſunt inaniores oculis. Hircino molliri ſanguine adamantem dixit Corinthius, & diuina ea res, ac ſecreta videtur eſſe. Initium igitur agedum & finis huius conuentus oratio ſit de adamante. Ant. Iam tibi, Polycrates, frigidam quandam, & aridam ſiccamque adamantis eſſe ſuppoſuimus naturam. vnde contrariis veriſimiliter obedit adamas. Sanguinis vero calida eſt & humida natura. Quapropter humiditate quidem ariditas & ſiccitas ſubigitur, frigiditas vero calore emollitur. Pol. Et quid tandem, adamas an non quouis ſanguine mollitur? Ant. Calidiſſimus hircinus eſt ſanguis, vnde etiā ſuperat adamantem. nunc autem & leonino ſanguine molliunt adamantem. excellentia caloris diffringentes eiuſdem duritiem. Pol. Eſtne ergo ſanguinum quoque diſcrimen aliquod? Ant. omnino equidem. habet etenim ſuam ceruinus ſanguis proprietatem, habet vero & taurinus potentiam ſingularem.

Qua ratione ſuperfœtent lepores: XI.

Pol. Veritatis introductor hic ſermo, Ariſthenes.

nes ſed Ariſtonis vide mihi filium, quàm dextrè adoleſcens equitet. ac ſanè par etiam venatorum ſecum trahit, vt vides. Equus ei ceruice alta, aureis quibuſdam ornatus in iuba monilib. ſuperbit quodammodo & ferocit inceſſu, tanquam delicias faciens. At verò puer manu dextra comprehenſo freno, pedibus equum ſtimulat, & ad vrbem curſum dirigit. & gaudet aliquo modo adoleſcens. non enim ſterilem habuit hanc venationem. vide mihi quantus ei lepus captus eſt. & ab inde nouæ contemplationis anſam ſumſi. Virum audiui dicentem, qui fabuloſis figmentis gloriari non eſt ſolitus, lepores alios quidem fœtuum parere, alios verò peperiſſe, alios verò ſemiperfectos geſtare in vtero. ANT. Fecundiſſima quædam eſt natura leporum, Polycrates. cui confirmando ſatis eſt, id quòd modò dictum eſt. Lepori improli feminæ coagulum additum, grauidam ſtatim reddit, & facit, vt quæ ſterilis ante erat, fœtum habeat ſubrumum. conceptio tamen in leporibus non terminatur, ſed cum primi fœtus adhuc feruntur ad perfectionem, ſuperconcipiunt, vt ita dicam. ſic alios quidem fœtus peperit lepus, alios parit, alios in vẽtre circum geſtat imperfectos. Ægyptum & Danaum quaſi fecundiſſimi forent, poëtæ celebrant, ſed iis ſuperior eſt lepus, vt inquit Abderita. Hoc autem vt credas, impune licet.

Cur æſtate corui non bibant. *XII.*

POL. Phyſicis rationibus, ſiue magis neceſſitatibus perſuaſiſti nos, Antiſthenes, firmum aliquid de leporibus interpretatus. ſed ad gentem coruorum

neſcio quomodo, tranſeat ac deſiliat ſermo, & in altum videaẽ eſſe ſubleuatus, quod nimirum corui, prohibeantur, quaſi æſtate aquari. A n t. Patiuntur morbum aliquem æſtate corui, ſolutionem nimirum alui, ô Polycrates. vnde fit, vt fluuij, & fontes, & paludes nihil poſſunt æſtate coruis, ne qua humore fluxus alui augeatur. Sciunt igitur artem diœtæ corui, cùm neque Hippocratem didicerint, neq; Machaonis, aut Chironis Pharmacis inſtructi fuerint. vident quidem Arethuſam æſtate corui, vident etiam Iſtri fluenta, & ſanè Nilum quoq; Ægyptum inundantem, ſed ſimul iis non licet bibere. veram ac ſi Tantali eſſent, caſtigati acerbiſſimam hanc pœnam luunt.

Cur cicada femina non canat. XIII.

P o l. Benè te, qui tanta ſcias. euge platanos, quam ſuauiter mihi fritinniunt in nouellis arbuſtis vocales cicadæ, & vnde mihi incidit de cicadis ſermo. ſupereſt vt eruam naturæ opera. veluti, cur cicada femina ſit muta facta, quaſi per modeſtiam pudeat loquacitatis. non vides compoſitè hanc iſtam cicadam inſidentem ramo nimis taciturnam, tanquam ſi Pythagoræ inſtituta dogmatis? A n t. Frigida natura ſunt cicadæ. ea propter circa æſtiuam tropam incipiunt canere, & ſole recedente ſuauem minuritionem iſtam deſinunt, temporeq; meridiei ſunt vocaliores. Cicada igitur femina humore multum ſuperat maſculum, & natura ei ſilentium indixit, intendens humiditatem. ideo garrula cicada non eſt femina, ſed veluti Theano quæpiam ſecreta reticens, Homero quaſi, qui ſermonem

nem viris curæ eſſe præcipit, obedit ac obtemperat.

Cur oua ibidum facillimè gignant ſerpentes baſiliſcos. XIV.

P o l. Delectatus ſum ſermone, ſed Deſultare te iubebit oratio. Primum enim venit mihi contemplatio, ab Ægypto ferens ſermonem non inuenuſtum. Dicunt Ægyptios ibidum ouis inſidiari, ne qua eorum fœtus producant aliquod malum. Animal enim horrendum quodpiam originem inde trahere, dicunt Ægyptij. ſed non nugæ, aut fabulæ quod dicitur? A n t. Non mihi videtur. ſapiens enim vt verè, & Ægyptium eſt inuentum. Quod ſi verò etiam ſermonem audire cupis, habeo tibi, amice, quod dicam. delectatur hic ales & veſtitur maleolentibus rebus. gaudet autem & inprimis venenatorum venationibus, maximè multiuorus. ſed & ſerpentibus ibis, vt baſiliſcus, eſt contraria, ideoque & pennæ ibidum ſunt aduerſæ ſerpentibus infercitur verò carnibus ſerpentium ac ſcorpionum, & gaudet hac venatione. igitur ex aliquo quod illa peperit, vt putredinoſo, magnum aliquod malum enaſcitur baſiliſcus. ideo corrumpunt Ægyptij, vbicunq; vidnrint oua ibidum quaſi quæ poſſent aliquando ſibi eſſe peſtifera, præmetentes. ſi igitur Ægyptios æmulatus fuiſſet Priamus, aut Oedipum occidiſſet Laius, nec capta foret Troia, nec inceſtus accidiſſet cum matre Thebis.

Auriginoſis quo pacto medeatur charadrius auis. XV.

P o l. Multam habeo Pericli gratiam, Antiſthenes. maximæ namq; cognitionis nobis author eſt.

Quoniam verò ſermo noſter Ægptium ſimulat Protea, ante paulo quidem de coruis ſubminiſtrata contemplatione, alias adamantis, deinde ad ibidum tranſiens, nunc ad charadriorum naturam ſe inſinuans: age igitur diſputationem transmuta. Auriginoſis aiunt mederi ſtatim charadrium, ſi in eos reſpexerit. Quare inuidus charadrius claudit oculorum pupillas, quaſi ſalutem, ne reſtituatur ægro, inuideat. ANT. apage iſthanc abſurditatem Polycrates, apage. non enim irrationalibus ineſt quidquam inuidiæ. neque vexatur ab auibus Prometheus, quod hominibus bonum aliquod tradiderit, nempe ignem oculos verò claudit charadrius, quoniam morbum. cùm mutat, ipſe ille morbus auem è veſtigio inuadit. POL. Optimum eſt etiam in paruis rebus in humana natura bonum ſcientia.

Qua ratione amygdalus anni fertilitatem, ceterorumq́, fructuum fecunditatem ſignificet. XVI.

POL. Eugepol ad iſtam amygdalum paulò commoremur, ô amice. quam ſuauiter ſibilat, & lenes auræ circumſtant illam. ANT. Specta amygdalum abundantem fructu, quam tantum non prouentus anni ad terram deprimit, & curuatam detinet. idcirco bonæ fertilitatis, Polycrates ſignum eſt maximum. POL. Vnde igitur, ô optime? ANT. Mixturam aëris temperatam hæc arbor amat, & ad fertilitatem floret, quando pacifero clementiq; tempeſtate telluris hoc fouetur habitaculum. ideo nũciat felicem anni fore prouentum amygdalus, quia neq; tepeſtatis aduentum, neq; imbrium, innundationem portendit.

Qua

Qua ratione elixæ igne aquæ difficilius corrumpantur, facilius eæ quæ deſtruntur imbribus. XVII.

POL. Sed ſi videtur, ad hanc porticum aliquanto melius accedamus. vt enim vides, ſubſtillare incipit, & imbrium aduentum ex eorum motu ventos minari ſentio. Eſt verò & mihi, quo memoriam amice refricem meteorologiæ. ANT. Quid igitur eſt quod proferas? POL. Coctæ igne aquæ non ita cito putrefiunt ex natura ſua, vt à quibus terrea materia ſit ſeparata. quare opottebat, oportebat inquam, ab imbribus delatas nobis aquas imputribiliores eſſe quodammodo aliis aquis: percolante ſole, & attrahente quod eſt tenuiſſimum. prorſus verò contrarium videre licet: Nam corrumpuntur citius aquæ pluuiæ. ANT. Commixta maximè pluuiarum eſt natura, ô tu. Ex omnibus enim humidis educit Sol. Varia igitur illa & inæqualis mixtio prona eſt ad motum contrarium, vt vocant, & ad corruptionem magis ſpectat. Eorum enim quæ diuerſa ſunt & varia ꝓcliuis maximè eſt corruptio. ac ſane quod magis eſt, grauiſſimum eorum quæ Sol ſuſtulit, iterum defertur: quoniam grauia mouentur deorſum, ac tenuiſſimæ vaporis partes degenerarunt in naturam ventorum.

Cur Seriphiæ ranæ ſint mutæ. XVIII.

POL. Optimè equidem. Sed me ab ignorantiæ ſolueris accuſatione, ſi de natura ſermones ad finem mihi vſque proſequutus fueris, Antiſthenes. Seriphias ranas Lyſimachus Phalaridis filius mutas ait vidiſſe. ANT. Quod mutæ ſint eæ, in cauſa eſt aquarum natura Polycrates, ob nimiam humidita-

B 3 tem.

tem.vnde ſi quis transferat hoc animal, loquax ſtatim fecerit,& ad propriam naturam reduxerit,quaſi liberatum Circæ vinculis. Cyrenæam autem ranam, quod non ſit loquax; amaror aquarum efficit.

Quare melli Attico non inſideat muſca. XIX.

Pol. Nimis,ô amice, ſcitè. At huiuſmodi quid iam patimur:in Attica confertim videor ſtare,quodammodo Theagenisq; refricare cõuiuium. (Excepit.n. conuiuio Theagenes Salaminius,& me,& Cliniæ filium Doſitheum. qui cũ nobis obſonia & placentam præbuiſſet, ego,vt patet,valedicto conuiuio ad ſermonum collationem cupidè ſtudioſeq; ſum volutus.) ac ipſum ad me, Theagenem audire dicentem, Non vides Polycrates, quod non poſſit muſca apis Atticæ corrumpere labores? & miratus ſum dictum:quia nimis erat vltra captum noſtrum. Ant. Thymis Polycrates Atticam abundantem eſt videre, quibus inſident Atticæ crebrius apes. inde tum etiam grauioris eſt odoris. quapropter veluti viſco alicui, melli Attico non inſidet muſca. non minus tamen circumſtrepentes apis Atticæ labores carpere geſtiunt. Vbi eſt Darius ille contra Græciam armatus? Xerxis ferociam muſca doceat, quaſi non fas ſit Atticam potiri, aut aſcendere. Pol. Magnificè me nimis procuraſti Antiſthenes, ad finem contemplationis quaſi tragemate aliquo præbito,mellificium Atticum enarrans.ſed ne à te ipſo horum omnium habes ſcientiam? Ant. Non certè Polycrates, quippe iam antiquis multa & celebria elaborata ſunt,quibus animo inſidentes, ſicut apes collegimus in vnum opus, quod plurima cõprehen-

prehenderet, id vt abſolutiſſimum quoad fieri poſſet redderetur oratione proſequuti. Non enim Democriti mihi labores tribuo, neque Ariſtotelis gloriam mihi vindico, neque quid Platonicorum ſurripio, neq; Iamblichum ſine corona reliquerim, non Proclum, non Galenum elegantiſſima ſcientia viros. non Plotinum, non Sotionem, non Alexandum, non Theophraſtrum cognitionis mare, non Bolum, non Ælianum, non ſcientiæ plutum theſaurum (videlicet) Plutarchum, non Ambronem, non Imbraſium, non Damaſcium, aut filium Timagenis Hieroclem. & quid tandem tibi catalogum recenſeam reliquorum, à quibus argumentis aliquot & principiis acceptis, ſynopſin quaſi quandam tibi ſcrutandi cupido, pro viribus noſtris dedimus. nec alieno Polycrates ornari mundo fas eſt, quemadmodum ille fabulis dilatus graculus. nihil enim eſt quod ab antiquis non ſit animaduerſum. ea verò vt omnia in promptu reperias, non prorſus eſt facilè. POL. Ego è ſcientia tua fructum percepi, Antiſthenes. & abeo gaudens. Hermæum enim optimum, difficilium ſcilicet ſermonum ſcientiam reportaui.

THEOPHILACTI EX-PRÆFECTI, COGNOMENTO SIMOCATI,

Hiſtoriarum breuis comprehenſio, ex PHOTIO.

LECti ſunt Theophylacti Expræfecti & ſcriptutarij hiſtoriarum libri octo. Eſt aũt Theophyl. ctus hic, Ægypto oriund⁹. oratio qua vtit̃, veneris

 equi-

equidem aliquid habet, niſi quod dictionum tropicarum, & allegoricæ interpretationis nimius vſus in frigiditatem quandam, & iuuenilem deſinat ineptiam. Sed & illud, quod ſententias & ſcita dicta interſerat non in tempore ſtudij eſt anxij & ſuperflui. ſunt & alia præterea quæ reprehendi poſſent. incipit autem ab imperio Mauricij, peruenitq; ad proclamationem vſq; Phocæ.

In Primo igitur libro narrat quomodo Mauricius à Tiberio rex renunciatus ſit, Ioanne tum temporis Conſtantinopolitanorum eccleſiæ præſule, de quibusq; admonuerit Mauritium Ioannis Quæſtoris in ea re vſus opera, qui & ad ipſum Mauricium & populum concionem habuit, fungens loco regis. & quomodo illi filiam deſponſarit, & quomodo altero poſt renunciatum Mauritium die, vitam finierit. & quod priuſquam moreretur viſionem viderit, dicentem ſibi: Hæc tibi Tiberi triſagion dicit, Tyrannica impietatis tempora ſub regno tuo non orientur. quæ non nihil prædicebant tragœdiam nefariæ tyrannidis, occupatæ à cruento ſceleratoque Phoca. adhæc etiam quòd cum Abaris ſyrmium oppugnantibus, iam Paulo ante Mauricius inducias fecerat, eo pacto vt barbarij quotannis, per pecuniam ſimul & veſtes, conferret auri Chiliadas LXX. quæ cum duos circiter annos duxaſſent, à barbarorum inexplebili auaritia ſunt diſſolutæ. Viginti enim auri Chiliadum acceſſionem amplius adhuc poſtulauit barbarus, vnde ſolutio facta induciarum, & capta eſt à barbaris vrbs Singedon, & Auguſta, & Viminaceum, obſeſſa verò etiam eſt Anchialus, & ipſa vrbs. Miſſiq; Elpidius & Comen-

Comentiolus Romanorum legati ad barbarorum regem Chaganum, magis quàm oporteret maieſtatem eius dehoneſtarunt, quippe cum nimis liberè ad barbarum loqueretur comentiolus. Relapſo verò anno rurſum Elpidius ad Chaganum mittitur, vt referret latius de viginti chiliadibus tribuendis, & accepto ſecum quodam ex Abaris Targetio Byzantium rediit. poſtquam autem Abari Romanorum plurima vaſtauiſſent, Targetius in Chalcidem Inſulam extruditur exſulatum, ad menſes ſex. Dux verò electus Comentiolus, contra Sclauos rem fortiter geſſit. Porro quomodo rurſus inducias inſtaurauerit chagamus, deq; Boſcolobra mago, & expugnatione plurimarum vrbium Romanarum per barbaros. Deinde narrat bellum Perſarum & Romanorum ad Nymphium fluuium, nuptiasq; Mauricij cum Cõſtantina Tiberij filia. Perſtringit etiam incendium quod in foro factum eſt circa initia principatus Mauricij: Item de nece Paulini præſtigiatoris, ac de miraculo quod accidit circa concham ſiue peluim Glyceriæ martyris. & quomodo Ioannes patriarcha, cum ſententia regis lenior videretur, ipſe ignibus tradendum incantatorem affirmauerit, allegatis ad id ideo verbis Apoſtoli, & quod Paulinus, atq; filius eiuſdem impietatis conſcius gladio decollati interierint. præterea de Aphnumone & Acma cuſtodibus præſidiariis. Continetur autem hoc ſermone pugna Romanorum ac Perſarum, & quomodo Ioannes oppugnatus ſit à barbaris. magnus adhæc ille terræmotus, qui accidit ſtatim à principio cum ſalutatus eſſet Imperator Mauritius, de eiusdemque conſulatu.

quomodo item Philippicus, qui regis filiam habebat Gordiam, Orientalis exercitus ſit electus imperator, eiusq; in imperio iſto res benè fortiterque geſtæ, & Romanorum ex Media diſceſſus. quomodo etiam Romanus exercitus aquæ penuria laborarit, & quomodo Arzaninem regionem Romanorum dux diripiendam dederit, & fortitudo Romani militis. Et qnomodo metropoli vicina quæq; Perſarum exercitus deuaſtauerit. legatioq; Perſarum ad Romanos, prima & ſecunda. Atq; hæc quidem libro primo.

I I.

SECVNDO verò complectitur de monte Ixala, de Inſultatione contra Cardarigam Perſarum ducem, & quomodo Philippici Romanorumq; pugna cum Cardariga & Perſis iuxta Azarnum facta ſit, & quomodo Philippus non manufactam imaginem ferens circumeundo luſtrauerit exercitum, & vti tunc Romani lautiſſima victoria affulſerit. quomodoq; non manufacta imago ad Symeonem epiſcopum Amidenſem cum veneratione miſſa, ſpoliaque barbarorum Romani legerint, fugiente Cardariga ad vrbem Daras. hinc quomodo ipſum ab vrbe Dareni relegarint, vt omnibus viribus quantum pote debilitaretur. quomodo item Romanus miles in corpore vulnerarit. erat autem vnus ex ordine Quartopartanorum, ita dictorum, qui Berrhææ commorabantur, vrbe Syriæ. deq; expeditione Romanorum, deq; Arzanine, & quomodo Marutha ac Iobius eius duces transfugerint ad Philippicum & Romanos. deq; plebeiis copiis collectis à Cardariga ad circum veniendos Romanos.

quomo-

quomodo quoq; Heraclius Heraclij Imperatoris pater à Philippico ad hoſtium ſpeculationem emiſſus, mirificè ſit ſeruatus, deq; Zaberta Perſa, & quomodo à Chlomarorum oppugnatione deſtiterint Romani. adhæc etiam de magna turpiq; fuga Philippici, turbatoq; ordine in educendo exercitu Romano. ac de morbo qui Philippicum inuaſerat. & quòd Heraclius Heraclij Imperatoris pater curam ducatus in ſe ſuſceperit. quomodoque in Meridionalem Mediam irruptionem fecerit Romanæ militiæ ſubimperator. & vt verno tempore in Perſarum ordines irruerint Romani. Comprehenditur quoq; libro hoc vti Comentiolus in Abaros expeditionē duxerit, ſubimperatores habens Marinum & Caſtum. & quam ſtrenuè ſe habuerint illi contra Abaros, poſtea verò viuo vterq; captus, quodq; Anſimuth duce peditum Romanorum ab Abaris capto eius poſtea exercitus per Thraciam excurſiones fecerit. & Comentioli conſultatio an oporteret adoriri Abaros, & habita concio ſuper inuadendis Abaris, & concioni iſti concio oppoſita. quomodo rumor illapſus in exercitum barbarorum, irritum Comentioli fecerit contra Chaganum conſilium. item de Buſa milite, & quomodo dum venaretur deprehenſus ſit ab Abaris, & quomodo à 9. manipularibus ſuis per contemptum neglectus, primus ideò Abaros obſidionalia inſtrumenta fabricare docuerit. & quomodo abs Chagano obſeſſa Beroe, conatus non ſucceſſerit. ſic quomodo Diocletiani vrbem idem ipſe obſidens, & in hoc caſu fruſtra fuerit. & quomodo Mauricius Imperator à communi Byzantiorum vulgo ludibrio habitus,

propter

propter eas quas à barbaris Europa clades acceperat, emiſerit imperatorem exercitus Ioannem, quem cognominabant Muſto canonem, cum ſub imperatore Droctone, qui etiã in obſidione Adrianopoleos ab Abaris facta commiſtus inter milites, vrbem ſeruauit. Continet etiam hic liber, quomodo Heraclius caſtellum Perſicum vi capere ſit aggreſſus, deq; præſidio Beiudaës dicto, & quomodo mirabili fortitudine ſapêris militis, præſidium ceperint Romani & hinc tandem aduentum Philippici in vrbem regiam.

III.

Tertius autem liber diſſerit, quomodo electus ſit Philippici loco dux orientalis militiæ Priſcus, & quomodo Philippicus inuidioſus Priſco, ad Heraclium ſcripſerit, cibaria exercitui diminuta eſſe, quodque Priſcus cum exercitum adcedat, non ex equo deſcẽdat è more veteri, atq; ita ſalutet militem. quapropter cum miles, & quod cibaria ſibi præciſa eſſent, & quod honore debito non fuiſſet compellatus, ſeditionem faceret, & Priſcus accepta non manufacta imagine, per hanc exorare plebem conſtitueret, illam quoq; lapidibus petierunt. Itaq; fuga recepit ſe Conſtantinam Priſcus, & electus eſt ab exercitu futurus ei dux Germanus, licet inuitus. atq; hac obtinente diſcordia, non paucæ Romanis calamitates à Perſis ſunt illatæ. quapropter & Imperator res Priſci quidem ſedat, eius verò loco remittit iterum Philippicum ducem. At miles etiam iſti rebellat. & obſidetur ſanè conſtantia à Perſis, liberatur autẽ à periculis, auxilio Germani. prælioq;

Perſas

Perſas inter & Romanos iuxta Martyropolin commiſſo, ſplendida Romani ſunt potiti victoria, tribus Perſarum millibus cum duce ſuo Maruza cæſis, mille captis, reconciliatoq; cum Imperatore per Ariſtobulum exercitu, experta eſt ad præſidium chiligerdarum, captiuorum Romanorum fortitudo. & Gregorius Antiochiæ archiepiſcopus Philippicum per legatos ab expeditione reuocat. Capitur autem à Perſis Martyropolis, fraudibus maximè Sitæ. & ab officio remouet Philippicus, ſuffecto Comentiolo, cui Imperator bellũ Perſicum eius loco crediderat. Getæ verò ſiue Sclaui Thraciæ vicinas regiones populabantur, Roma armabatur contra Longobardos, & Africa per Mauros infeſtabatur. Auſpiciis tamen Comentioli committuntur circa ſi ſarbanum propè inter ſe Perſæ cum Romanis inter quos omnibus viribus vincebant Romani, Heraclio egregiè depugnante haſta. Cecidit enim & ipſe Perſarum dux Phrates, & ſpolia lecta ſunt exercitus. Præterea quoq; complectitur, quomodo Baram deuictus Turcis, & multis inde opibus diuitiisq; ad Hormiſdam regem miſſis, gladium quoq; ſuſtulerit aduerſus Suaniam. Romani verò ducente Romano, cum Baram, eiusq; exercitu collatis ſignis opimam referunt victoriam. vnde per contemtum Hormiſda & opprobrium Baramo veſtẽ miſit muliebrem. hic autem eodem contumeliæ genere vſus, literis ad eum datis, Filiæ choſrois inſcripſit, nõ autem filio Hormiſdæ. quo etiam bello Armenij Sabbatij malignitate, ducem quidem ſuum Iohannem necant, & ad Perſas defectionem moliuntur: Comentiolus autem à rege miſſus & ſeditionem compo-

componit,& Sabbatium ducit Byzantium:vbi tum ille ad beſtias condemnatus eſt, niſi ab hoc mortis genere per humanitatem regiam fuiſſet liberatus. Hormiſdas autem Saramen aduerſus Baram mittit, qui Baram cum bello ſuperior euaſiſſet, Saramen elephantis obiecit deuorandum,& manifeſta contra Hormiſdam ſumſit arma. Eò verò honorum Baram venerat, priuſquam deficeret, vt poſt regem nemo foret eo honoratior. curator enim erat palatij, quem vocant Romani, quo honore excidit. Habetur porrò hoc libro etiam repetitio eorum,quæ euenerunt temporibus hiſce antiquioribus, & ſuccincta narratio eorum, quæ facta ſunt ſub Imperio Iuſtini ac Tiberij Imperatorum. quædam item de crudelitate Hormiſdæ Perſarum regis, & Perſicorum regum ſtirpis commemoratio. Et hæc ea ſunt quæ liber Tertius.

IV.

QVARTVS verò continet, & quomodo inter Perſas ciuile bellum coaluerit,& quæcunq; acciderint ſub Baramo victoriæq; & fortunæ. Pherechamis cædem. Zadeſtræ ſucceſſum, & quomodo regno à Bindoe exutus Hormiſdas è vinculis concionandi petierit veniam, quomodoq; ſit concionatus, & quomodo Bindoes item concionatus ſit, iugulatusq; filius in conſpectu Hormiſdæ, occiſaq; regina, & excæcatus ipſe Hormiſdas. & quomodo poſtea à filio quem Perſæ regem conſtituerant, fuſtibus occiſus. potentiam tyrannidis Barami, fugamque chosroæ Perſarum regis. quomodo item Perſarum rex ad Circenſium venerit ad Mauricium Imperatorem, quomodoque ad eum miſerit. de Ba-

de Baramo rurſum, quomodo, cùm id quod moliretur, vt rex nimirum proclamaretur, non obtingeret, ſeipſum renuntiauerit regem. quomodo Imperator chosroen ad Hierapolim deduxerit, cum familia ſatellitioq; regio, quod ei dederat. deq; iis quæ acta ſunt inter Baramum & chosroen confœderatis cum eo iam Romanis. & vti cum legationem ad Imperatorem Mauricium miſiſſet Baram, repulſam tulerit, rurſusq; legatione miſſa, chosroes quod petierat, impetrauerit. quomodo Imperator Melitenæ epiſcopum vna cum Gregorio Antiochiæ archiepiſcopo ad chosroen miſerit. de Baramo Zamendæ fraudibus & Zoanambæ interfecto, ac de nece eorum qui rei huius erant conſcij. de Bindoe Perſa, & quomodo cum vnus eſſet coniuratorum in mortem Parami, è Perſide fugerit, quomodo Martyropolis à chosroe reddita ſit Romanis, & Sittias igne exuſtus, ſolemnemq; concionem habuerit epiſcopus Meletinenſis, nomine Domitianus, pro receptione vrbis.

V.

QVINTVS verò commemorat, quomodo chosroes Perſarum rex, cum anguſtia premeretur legatos miſerit ad martyrem Sergium, ad quem eundem & reliquæ gentes mittunt barbaræ, vt infortuniorum liberationem conſequantur. & quomodo cruce aurea margaritis interſtincta eum honorauerit. inde Tezadiphras dolosè occiditur à Rhoſa, Bleſchamis conſilio, & alia non ingrata chosroi obueniunt. De dato auro chosroi Perſarum regi à Mauricio Imp. & quod ſubſcripſerit chosroes, accepiſſe ſe. Legatioq; chosrois, vnde Cométiolus

à ducat

à ducatu remouetur,&eligitur Narſes loco comentioli,confede ratumq; Romanorum bellum aduerſus tyrannum Baram. deq; regiis muneribus miſſis chosroi ab Imperatore, & quomodo claues opidi, quod vocatur Daras, chosroes per legatum Dolbã tradiderit Imperatori. Concio Domitiani Meletinenſis, adhortans Romanos, vt coniunctis viribus cum choſroe Baramo ſe opponerent,deq; fortuna chosrois ante coniunctionem Romanorum &Perſarum.& quomodo regij theſauri, Perſicaq; regalia reſtituta chosroi per Bindoem. coniunctio copiarum Romanarum, Armeniæq; & Orientis. pugnaque commiſſa cum Baramo, & victoria Romanorum illuſtriſſima. in qua pugna ductore Narſe, cacapti ſunt etiã Turcæ, illi qui in fronte geſtitabant formam crucis,ea de cauſa vt reminiſcerentur liberationem à peſtilenti illo morbo, qui eos olim inuaſerat. De iis quæ Galinduch in Perſide martiri euenerunt,&quam variis illa caſibus ſubiectam vitam egerit.reditusq; chosrois in priſtina regalia.ac de muneribus miſſis à chosroe ſergio martyri,eiuſdemq; ad eundem ſanctum legatio,& quomodo ab Hirem quæ erat Chriſtiana, inſtitutus ſit, atque ea quæ poſtulabat conſequutus, dona dapſilia multa miſerit ad fanum martyris. & quo modo chosroes, qui tyrannidis erant complices, ipſumq; adeo Bindoen,quaſi qui regi rebellarit,interemerit.De edictis choſrois, & quam ſeditioſæ fuerint Romanorum res ſub tyrannis. Legatioq; Probi chalcedonenſis præſulis, ac de Dei genetrice ad Euripæ vrbem Anchialum,deq;ſpectro à chosroe per inſomnium viſo. & quomodo in regiam ſuam reuerterit Impe-

rit Imperator, legatione Perſica cui Zalambæs præerat, appulſa.

V I.

SEXTO libro contenta ſunt hæc. quomodo cum ab vrbe diſcederet, Imperator, à maris tempeſtate ſit comprehenſus, quomodoque circa Heracléam, cum ibi commoraretur Imperator, monſtroſus puer natus ſit, neq; manus habens, neq; oculos, neque qualis piſcium eſt, ſupercilia, neque palpebras in caudam à coxis deſinens & quomodo monſtrum ſit ſublatum. de tribus Sclauis, qui citharas circumgeſtabant, dicebanturque ex Oceani partibus ad Chaganum eſſe miſſi, qui & comparuerunt coram Mauricio Imperatore. Legatioque Francorum ad Imperatorem, ſtipendiaria, promittentium auxilia, & petitionis refutatio. Boſſus & Bettus erant legati, miſerat autem Theoderichus. De grege ceruorum, & quomodo maximus inter eos vulneratus, in Syluam ſe quandam proripuerit. & quomodo cum doryphorus eum quidam proſequeretur, & alius cum illo Gepida, doryphorus, propter aurea quæ habebat fortè, à Gepida ſit occiſus, qui longo poſt tempore cum deprehenſus eſſet occidiſſe, ignibus ſit traditus. Exercitus Abarorum contra Romanos, & obſeſſio Singidonis vrbis, electioque priſci ducis exercitus. & quibus calamitatibus hoc bello Europæo ſuos milites expoſuerit, & vt Chaganus è Drexiperis fanum Alexandri martyris obſederit, & quomodo intra vrbem Trurulum concluſi Romani à Chagano obuallati ſint, quomodoq; verba barbaro dederit Mauricius, & obſidio-

nem ſoluerit, Legatioque Abarorum ad Romanos, & quæcunque Ardagaſtus à Romanorum copiis paſſus ſit Porrò etiam quæ propè Tatimerum facta, fortitudoque Romanorum ducis Alexandri, & internecio Sclauorum quos adorti erant Romani. de natis monſtris in vrbe regia, altero quadrupede, altero bicipite. quomodo Priſcus remotus ſit à bello Europæo, deque Theodoro Legato miſſo ad Chaganum à Priſco, eiusque prudentia & dexteritate.

VII.

Septimus liber memorat de perturbatione ordinis in exercitu Romano, fortitudinemq; Romanorum contra Sclauos, ſiue vt antiquitus vocabantur, Getas: ac ea, quæ in ignobili quadam Thraciæ vrbe Petro eiusq; ſubditis acciderunt. & quomodo Piragaſtus Sclauorum militum *tribunus* interemptus, Romanique in aquæ quæ illos ſequuta eſt penuria fortiter ſe geſſerint. & quomodo cum Petrus à Sclauis oppugnaretur, Priſcus iterum ſit factus Imperator exercitus. mortem Ioannis Ieiunatoris Conſtantinopolitani; deque acceptis à Mauricio pecuniis, eidemque data accepti Syngrapha. quaque pius princeps reuerentia, & verè Imperatoria erga mortuum vſus ſit, deque pannoſij aliquot per archiepiſcopum eiuſdem viri inuentis veſtimentis. De Mauris collectis contra Carthaginem ciuitatem, & quomodo Gennadij virtute bellum ſit extinctum. deq; Cometa qui per multos dies apparuit. de ciuili bello inter Turcas. & narratione inſtituta, de republica imperioq; Turca-

Turcarum. & quomodo Chaganus Ephtalitarum cæſo principe, quæ gens eſt Turcica, ipſam quoque gentem ſubegerit: ac præter eam, aliam etiam Agarenorum gentem, & eorum qui vocantur Colch ad triginta myriadas interfecerit. ac etiam noua contra ſe moliente ſublato Turum, ideoq; triumphali ad Mauricium Imperatorem ſcripta epiſtola, deuicerit quoque Abaros. Narrat porrò de gente Taugas, deque alia dicta Nucri, in quam deuicti Abari ſunt diſiecti. deque Var & Chuni gentibus, ex quibus tempore Iuſtiniani pars harum gentium in Europam venit, qui & Abaros ſeipſi nuncuparunt. & quomodo Turcarum regio nec terræmotu, nec peſte ſoleat infeſtari, deque aureo qui fertur monte, ac de Tauga vrbe, deq; vermiculis qui faciunt veſtem Sericam, & quomodo multa fiat circa Chubdan, quæ dicitur metaxa, ſiue ſericum: & quæ ad eius opificium requirantur, deq; Indis, quorum corpus album eſt. Colloquium Chagani cum Priſco, vt daret ſibi Singidonem, & quomodo, cum abnegaret ei Priſcus, vrbem Singidonē Priſcus ſeruauerit, quæq; per Dalmatiam fecerint, quaſq; vrbes diruerint barbari. quomodoq; Secūdus à Priſco miſſus in Dalmatiam contra barbaros, rē benè proſpereq; geſſerit. ꝙ vndecimo anno Imperij Mauritij p̄dixerit monachus quidā eius, eiuſq; liberorū mortē, vt qui à foro ſtricto gladio ad vſq; veſtibulum aulæ regiæ decurrens, & ipſum Mauricium, & eius liberos gladio perituros pronunciauerit: ſed & Herodianus quidam regi futura p̄dixerit ex fame coorta in exercitu; & quomodo Chaganus admiranda humanitate quinq; dierū fameſcentib.

inducias conceſſerit, ne vtiq; frumentatio Romanorum à barbaris impediretur. & vti donatus à Priſco aromatib. in vicina Myſiæ loca abierit. quomodo cùm circa Myſiam Chaganus cum Comentiolo prælium committeret, proditione Comentioli Romanus miles à barbaro ſit fuſus, fugeritq; Comentiolus, & cum ad vrbem Drexipera veniſſet, ab ea veluti transfuga ſit relegatus, abieritq; ad eos qui vocantur longi muri. barbari verò à tergo venientes, Drexipera primum ceperint, & incenſo Alexandri martyris templo, eiusque inſuper ſepulchro violato, reliquiisque è Sandapila pro tractis, diuinam vltionem violatores martyris experti ſint. ſeptem ſcilicet Chagani filiis ex inguinum tumore die vna morientibus. His ita turbis durantib. Conſtantinopolin ſe recipit Comentiolus. barbari verò ad Muros longos magis magisque appropinquant, vnde Byzantiorum res eo anguſtiarum ſunt redactæ, vt Europa relicta de tranſitu in Aſiam cogitarent. Legationem itaque ſimul Imperator ad Chagonem mittit, per Harmatonem, ac ſplendidis muneribus, auctuarioq; tributi ad auri Chiliades viginti vix perſuadet eum vt pacem ſuſciperet, dicentem etiam, Iudicia Deus Chaganum inter & Mauritium, Romanos item inter & barbaros. De monſtris, quæ apparuerunt in aquis Niloticis forma humana, deq; Nili inundatione ſententias diuerſorum. author verò Agatarchidæ Cnidij ſententiam ſequitur, quotannis nimirum in Æthiopiæ locis magnos continuosq; imbres fieri à ſolſtitio æſtiuo, vſque ad æquinoctium autumnale. conuenienter itaque Nilum hyeme remiſſus currere,

naturali

naturali ſcilicet è ſolis fontibus profluxu : æſtate verò, propter eos quos ibi recipit effuſos imbres, augeri. Et hæc etiam ea ſunt quæ libro ſeptimo.

V I I I.

Octavo autem iſta inſunt. quomodo Chosroes ob incurſiones qui ſub Romani erant Saracenorum, fœdus dirimire voluerit; quod tamen ſartum tectum manſerit Georgio ad eum legatione miſſo, qui maieſtatem regis in eo læſit, quod diceret, dixiſſe Chosroen Georgij ſe cauſa ſeruare fœdus non autem Imperatoris Mauricij. quomodo item proditionis condemnatus ſit Comentiolus, eiuſq; cum Romano milite reconciliatio, Imperatoris iterum ſuffragiis conſtituti ducis. Pugna Romanorum, ac Abarorum, auſpiciis Priſci & Comentioli, quorum Comentiolus quidem aberat de certis negotiis, Priſcus vero ſupererat exercitui. Fortitudo Romanorum, atq; occidio Abarorum vſq; ad nouem millia. tertia pugna, & adhuc eorundem internecio, ad quindecim millia. Quarta pugna, & iterata Romanorum ſplendida victoria, cæſis barbaris computato ſimul puerorum numero ad millia quinquaginta. Quinta pugna, & Romanorum victoria, captis fuſisque Abaris. captis quidem Abarorum tribus millibus, aliorum verò quatuor millibus, & adhuc aliorum ab iis, duobus millibus & ducentis, Sclauorumq; millibus octo. vnde cum contra ſpem fortunam eſſet expertus, Chaganus ab Imperatore captos Abaros repoſtulauit. De Comentioli pertinacia, & quomodo eius temeritate Romanorum militum non contemnen-

da multitudo Philippopolim verſus euntis, frigore enicata ſit. vti Petrus iterum dux Europæi exercitus ab Imperatore ſit ordinatus, deq; nuptiis Theodoſij filij Mauritij cum filia Germani. deq; annonæ caritate in vrbe regia, deque concurſu ac turba populi in templo ſupplicante Cæſare, eiusque lenitate, exilioque militum, Eorumque poſt vnum diem reditu. quomodo Mauricius Petrum miſerit, vt quocunque modo militem Thracicum in alteram Iſtri partem transfretaret, quomodoque vox diuina Petro ſit locuta, ac tumultu in exercitu coorto Romano, tyrannis contra Imperatorem nata ſit, tyranno Phoca à militibus Imperatore Salutato. quomodo fugerit Petrus tumultusq; ad regem delatus, & quomodo primum per tribunos Plebei Sergium & Coſman plebs diſtracta, ac inuenti ſint Praſinorum M. D. Venetorum verò c c c. & quomodo inter populum æmulatio orta. Legatioque Imperatoris ad milites tumultuantes, & legationis refutatio. quomodo item vrbem cuſtodierit regiam. ac legatio exercitus ad Theodoſium Mauricij filium, aut ipſum ſe, aut eius ſocerum proclamaturos ſe eſſe regem. quomodo etiam auditis hiſce ſuſpectum Mauricius deinceps habuerit Germanum, quaſi fomitem autoremque tyrannidis: ideoque minæ, minarumque regiarum indicatio per Theodoſium generum, & refugium Germani ad fanum Dei genitricis à Cyro exſtructum. ac Stephani ſemiuiri, qui præfectus erat filiis Imperatoris, ad Germanum, vt ex templo deſcenderet, ablegatio irrita, & quomodo fuſtibus ſit cæſus Theodoſius à patre filius, propterea quod ſoceri conſilia videbatur

debatur adiuuare, tranſituſque Germani è templo Deiparæ virginis ad ſanctam Sophiam & rurſum prouocatio ad eundũ, diffidentiaq́; , ꝓpterea quod Andreas quidam ibi continuo obambularet, qui ſupplicationibus inde ſpem intercluderet. Tumultus & incendium in vrbe domus Conſtantini patricij, qui Lartes à vulgo cognominabatur, & deſperatio fugaque Mauricij: quomodo cum æſtus eſſet maris, iter fugæ ſit præciſum: miſſioq́; Theodoſij ad Chosroen, eiuſq́; iterum Nicæa reditus cum annulum ei oſtendiſſet, quem filio teſſeræ ſigníue loco pater dederat: & quomodo ad tyrannum ciues, inter quos erat etiam Septimi quod vocabatur loci præfectus, exiuerit, quomodoque Germanus in affectando regno ſucceſſu exciderit, praſinis ideo prorſus reclamantibus, quia, vt dicebant, factionis erat Venetæ. Ceterum, renunciatio in ſancti Iohannis templo, quod erat in Septimo, Phocæ, adhibitis riteque factis regni ceremoniis à Cyriaco, introituſq́; Phocæ, & ſalutatio Leontiæ vxoris Phocæ, ac tribunorum de locis contentio. & expulſio Coſmæ tribuni plebis Venetæ per Alexandrum, contentioq́; cum Alexandro, in eaq́; forte mentio facta, quod nondum eſſet mortuus Mauricius: & propterea feſtinatio tyranni furorq́; in cædẽ Imperatoris; adhæc occidio, filiorũ regis in cõſpectu patris, in portu qui vocatur Eutropij: modeſtia itẽ & regis ſeria pietatis cõfeſſio: ipſiuſq́; illius cædes manu Lilij. ac Mauricij Imp. teſtamẽti, in quo ſcriptus hæres rex Heraclius erat, inuenti prælectio: quomodoq́; corpora regia marino fluctui expoſita: funebris item oratio ſuper Mauricio, & quomodo

vltionem eorum. quæ impiè in Mauricium perpetrauerat Romanus exercitus, ex diuina prouidentia ſit expertus, ita vt paruo tempore, eorum nemo qui conſcij forent iſtius tyrannidis, ex tanto numero ſuperfuerit. quorum alij peſte, alij igne cœlitus demiſſo, alij gladio perierunt. vtque cum Heraclius Imperator aduerſus Raxatem Perſam bellum ſuſcepiſſet, delectu militum habito, duos tantum repererit, ex ea multitudine quæ tyranno fauerat, ſuperſtites. at tunc res fieri Romanæ ſuperiores incepere contra Perſas: qui quouſque interfuerant victoria erat à partibus Perſarum. Cædes à tyranno per Alexandrum machinata Theodoſij regis imperatoris filij, Petrique & Comentioli, & Conſtantini Lartis, errorq; circa Theodoſium ita vt non ſit occiſus. & quomodo Alexandriæ imagines quæ ſtabant in Tychæo ſic dicto loco, è ſede ſua diuulſæ, prædixerint ea quæ facta fuerant calligrapho cuidam, à cœna redeundi domum. quomodoque Mauricius dicatur tertiam partem penſionum vectigalium remiſiſſe ſubditis, ac trecenta dediſſe talenta Byzantinis, ad reficiendos inſtaurandosque aquæductus, & quomodo munificentiſſimus fuerit erga rerum mathematicarum ſtudioſos, deque miraculis in effluxu ſanguinis Euphemiæ martyris, & quomodo Mauricius rei facto periculo ex incredulitate maiorem ei poſtea fidem habuerit. & quo modo tyrannus Conſtantiam Imper. Mauritij coniugem vna cum filiabus intra domum plebeiam concluſerit. Legatio tyranni ad Chosroen Perſarum regem irrita, fœderisque diſſolutio, prætexente Chosroe inferias mactaturum ſe Mau-

ſe Mauricio. & ſic Lilius, qui legatus erat, re non perfecta rediit. Cædes Alexandri, vnius ex contubernalibus Phocæ, propter ſuſpicionem quaſi Theodoſio Mauricij filio, quem occidere debuiſſet, pepercerit in quibus totius hiſtoriæ finis eſt,

DE LEGATIS ROMANORVM AD GENTES.

Ex Hiſtoria

THEOPHYLACTI EXPRÆFECTI ET SCRIPTVRARII.

I.

QVOD Imperante Mauricio Legatos miſerunt Romani ad Chaganum, & bellum deprecaturi, Elpidium mittunt virum Senatorium, Siciliæque præfectum tunc, & Prætoris tribunal aſcendentem, quod officij genus apud Romanos non inhonoratum eſt, & Comentiolum, qui illo tum, munere fungebatur quod inter corporis cuſtodes, à Latinis nuncupatur Scribæ. Iuerunt igitur ambo ad Chaganum ad vrbem Anchialum, ac de induciis tractauerunt, vt erant iuſſi. Hoc verò non mediocriter irato propter damna ſibi illata, ſed inſolentiora quoque multo minitante, Muros longos ſic dictam vrbem diſiecturum: Elpidio autem lenioribus vtente verbis, quam vt ita retunderet inflatum Cagani faſtum, Comentiolus cordatè & liberè linguæ ingenuitatem oſtendit, & Romana libertate, in modum caſtæ alicuius dominæ

intaminatè ſeruata, nec adulterius corrupta adulationibus, coram præcipuis barbarorum, atq; ipſo adeò Chagano dixit. quoniam verò magna hæc modum in verbis egrediebatur reprehenſio, ex feruore ſanguinis, impotente ſui animo, per totam faciem ita præ ira erubuit, vt, cum omnino facies eius præferret, nec legatis quidem ſe parſurum, maximum ex oratione iſta Comentiolo immineret periculum. Violata enim barbarus legatorum religione, Comentiolum in vincula coniecit, cumque detineretur in carcere pedes eius in robur concluſit, tabernaculumq; legatorum deſtruxit. ac inde pro more iſtis regionibus conſueto pro pœna mortem eſt minatus. poſteriori autem die cum ſedatior iam eſſet, idoneis ad eam rem ſermonibus adhortati Chaganum, barbarorum potentiſſimi, perſuaſerunt, ne quid ſibi proponeret de morte Comentioli, néue vltra vincula quid amplius contra legatos tentaretur. Conſentiens ita Chaganus legatos, largitus iiſdem non exſpectatam ſalutem, violatos ad Imperatorem remittit.

I I.

QVOD relapſo anno iterum Elpidius ad eandem legationem omnium ſuffragiis electus, miſſus eſt. Is cum eſſet apud Chaganum legatum poſtulauit, qui vna ſecum ad Imperatorem proficiſceretur, vt ſic induciis reſtauratis, viginti aliæ auri Chiliades adiicerentur plus, quam ante pactum erat. Chagamus autem admiſſis hiſce, Targium illuſtrem apud populum Abarorum virum, ad Cæſarem cum Elpidio miſit. Cur igitur Abari inducias non

cias non multò poſt confuderint, & bellum apertè reſumſerint, cauſam equidem dicam, nec detracto. Vir erat natione Scytha, Bolocalabra nomine. hic tum temporis periculoſum perpetrauit facinus: ſiquidem cum vna ex concubinis Chagani rem habuit, & breui voluptate ineſcatus, in magnas mortis retes ſe coniecit. veritus autem ne aliquando facinus hoc deprehenſum ingentes pœnas parturiret, perſuaſis ex ſubditis hominibus ſeptem profugit ad antiquam à qua orti erant gentem. Hunni ea ſunt. habitantes orientem, vbi vicinus eſt Perſis, quos Turcas etiam nominari pluribus iam cõſtat. Itaq; tranſmiſſo Iſtro cum tenderet ad Libidinum vrbem, interceptus à Romano quodam duce, eorũ quibus eſt demandata Iſtri cuſtodia, & gentem ſuam profeſſus eſt, & quomodo vixiſſet, quamq; inde voluptatem percepiſſet. quoniam verò idoneus viſus eſt ad exponendos caſus ſuos ad Imperatorem mittitur. & hac occaſione induciæ Romanæ videntur eſſe diſtractæ: exortumq; bellum iam tum cum Targitas adhuc in vrbe legati eſſet nomine, & anniuerſarios reditus à Romanis depoſceret, quos Chagano quotannis ferebant induciæ. Vnde non ſine cauſa iratus Imperator, cum non minimum videret ſe circumuentũ à barbaris, hoc equidem exigente diuitias annuas, & pacales reditus, hoc autem non quieſcente, ſed Europam infeſtante, vrbesque vaſtante, eiicitur Targitas in inſulam Chalcitidem, deportatus ad menſes ſex, interim regis animus deferbuit, qui morte quoque in legatum ſe animaduerſurum fuerat minatus. Miles verò Chagani & Scythiæ finitimos omnes perdiderunt, cepe-

ceperuntque plurimas vrbes, Terateridam, Bononiam, Acus, Doroſtolum, Salpada, Panaſa, Martianopolim, ac Tropæum. in quibus omnibus non minimis opus fuit laboribus, nec, licet magna aceruatiſucceſſus fortuna adiuuante, qui etiamnum ineuitabile malum adfert lentioribus abſque ſudore & moleſtiis ad deditionem compelli potuere hæc oppida.

III.

QVOD Tiberius per nuncium cum Hormiſda egit, vt vtrinque bellum componeretur. At verò ille ſuperbior hac legatione factus voluit apertè ſibi tributum reddi à Romanis, Armenios & Iberos ſibi ſubiici, conſentientibus in hoc Romanis, néue amplius oppidum Daras à Cæſare tentaretur. quamuis pater Chosroes vtrinque inter ſe & Cæſarem inducias eſſe voluerit, neque Daras ſub Imperium Cæſaris reddere detrectauerit. Poſtea verò quam Hormiſdæ faſtum Tiberius audiuiſſet, adueniente æſtate, coactis rurſum Copiis Perſidem ingreditur Mauricius, ipſe traiecto Tigride, reliquis, vt ad interiora magis Perſidis promouerent, miſſis.

IV.

QVOD cum grauiter ægreq; ferret Chaganus, Romanorum militem etiam in tenebris inclaruiſſe, ſelectiſſimi quique admonuerunt barbarum de bello deponendo. Dixerunt enim non iuſtam eius iram eſſe contra Romanos. Confidenter itaque Priſcus legatũ miſit ad Chaganum, nomine Theodorum,

dorum, à natura factum hominem elegantem, & prudentiſſimum. profeſſione medicum, lingua libera & ingenua. Eo autem ad Chaganum admiſſo, barbarus quidem elatus animo propter ea quæ euenerant ſibi felicia, nimis quam ſuperbus factus eſt, quippe qui ſe regem eſſe diceret omnium gentium, nec aliquem eſſe quacunq; Sol videt, qui aut prodire, aut ſibi ſe poſſet obſiſtere. Legatus verò, vt qui doctiſſimus eſſet hiſtoriarum, barbaricam exemplis contucit ferociam. ac vt hiſtoriam proferamus non erit inconſequens. Dixit igitur: Audi Chagane antiquam nimis & vtilē hiſtoriam. quod cum attentum feciſſet ad audiendum Chaganum exordium, non eſt præciſa reliqua hiſtoriæ narratio. Seſoſtrin aiunt fuiſſe regem felicem perquam, & omnium Ægyptiorum regum illuſtriſſimum. Hunc gloriari ſolitum de diuitiis ſuis antiquus eſt ſermo, potentia verò viribusq; fuiſſe tantis, vt expugnari non poſſet: eoq; ideo luxus perueniſſe, vt curru fabricato ex auro, precioſiſq; gemmis exornato veheretur: ac equis quidem relictis, & mulis, deuictorum colla regum eius iugo ſubiiceret, atq; ita in forum currum huius infelices reges protraherent. Hic igitur Seſoſtris cum non ſolum non moderaretur fortunis ſuis, ſed ſuperbè quoq; ſæpe. numero exprobraret de victis regibus calamitatem, vnum aliquem dicunt ex regibus, qui ſubiecti erant iugo currus, cum magna fortè & feſtiua celebritate magnus confluxus eſſet populi lentius protrahentem currum, & crebrò retroſpicientem intuitum eſſe volutationem rotæ. Cumq; ita protractio currus eſſet vitiata, quia nō omnes vno æquoq;
ſtudio

ſtudio, qui ad rem hanc ordinati, laborarent, Ægyptiorum rex ad eum inquit, qui tam ſæpè reſpiceret, Quid homo tam ſæpè retroſpicis? quid rotas intueris? quorſum tranſire hiſcis? hunc tum cum multa grauitate Seſoſtri reſpondiſſe: Rotarum admiror volubilitatem tam varios efficere motus, easq́ue partes quæ in altum ſunt elatæ, deferri rurſus in terram, & viciſſim eas quæ terram radunt, poſtea euehi, quæ cum audiuiſſet, Seſoſtris, didiciſſetq́ue, ne nimis altum ſaperet, iuſſiſſe reſumtis eorum loco mulis à iugo colla regum ſolui. Hæc te doceant, Chagane, felicitate nihil eſſe inſtabilius. quapropter admiratus prudentiam hominis Chaganus faſtum comprimit, ſiſtit confidentiam, resq́ue componit ad ſtatum pacis, ac ita cum per horas aliquot ſiluiſſet, ad Theodorum, Noui, inquit, animo meo moderari, quando exuberat, noui etiam iram vincere, ſed habita ratione temporis. Abſtineo amplius à Priſco, Theodore, ſit & ille mihi æquus bonusq; amicus, ex parte prædæ ne excludatur Chaganus, in meam terram deſcendit, in meos ſubditos vim exercuit. Commune eſto, ſi quid inde eſt fortunarum. Hac ſic humanitate proſequutus Theodorum, ad Priſcum remiſit. cum verò Priſco retuliſſet ea Theodorus quæ ſibi barbarus loquutus erat, exhortatus eſt Romanos Priſcus, vt in partem quoque ſpoliorum admitterent barbarum. Romani licet abnegarent primò, duciq́ue rebellarent, dux tamen multis, & variis vſque adeò prudentibusq́ue verbis affatus, exercitum perſuaſit, vt prædam quoque diriperent inter barbarum. Redditis itaq; Romani

Romani Chagano quos ceperant barbaris, reliqua præda ſibi retenta, diſcordiam omnem compoſuerunt. Chaganus quoq; cum lubens recepiſſet barbaros, per regionem ſuam conceſſit tranſitum. Et ita quidem Romani, quinque millibus barbarorum Chagano datis, Drizipera veniunt; dux exercitus, Byzantium. Mauricius autem eum, eiusq; lenitatem qui tam ſtultè barbaro de ſpoliis ceſſerit, reprehendit, & ab officio remotus eſt Priſcus.

V.

QVOD cum Abari in Thraciam facerent incurſiones, Senatus monuit Mauricium de legatione mittenda ad Chaganum. quare vocatum ad ſe rex Harmatonem legatum creat, & ad Chaganum mittit. Itaque Harmaton Drizipera venit, munera multa ſecum ferens, vbi cum Chaganus præſentes tum fortunas lugens, defleret vltra modum mortem filiorum, & in exercitu ſuo graſſantem peſtem, decem prius commoratus eſt dies, quam ad Chaganum admitteretur, quia fletus acerbus erat, & calamitas varia. hinc die duodecima intromittitur in tabernaculum barbari legatus, qui blandis verbis adulatus barbaro, quoniam grauabatur nimium accipere dona regia tantum non conſentiens in iſtud tragicum, Hoſtium dona non dona. plurimiſque vſus ceremoniis, perſuadet vt muneribus iſtis honorari ſe pateretur barbarus. poſtea vero diei, cum de pace conueniſſet inter barbarum, domum redire cogitauit, hæc autem verba addidit Chaganus, Iudica Deus inter Mauri-

Mauritium & Chaganum, inter Abaros & inter Romanos. Inſimulauit enim ruptæ pacis Romanos, nec ſine cauſa. Etenim reuera pacis adulteri cum fuerint, autoresq́; belli in ea quæ diximus mala inciderunt. Dirimit Romanos Iſter ab Abaris, veluti ſequeſter; vltra verò, ſi quis fluuium trãſmittat, Sclauorum ditio eſt. ſed & adiectæ ſunt auri Chiliades viginti ad inducias, vnde bellum inter Abaros & Romanos finitum.

V I.

QVOD eodem circiter tempore Chosroes molitus eſt pacem frangere, iſta de cauſa. Saracenorum quidam militabant in auxiliis Romanis,& eorum vnus ſponte ſua Perſiam inuadens pacis tempore, excurſione iſta partes aliquot Babyloniæ infeſtauerat. qua de re quo ea animo fieret aut in quã partem accipienda eſſet, cum dubitaret Chosroes, Mauritius in Perſida mittit Legatum Georgium, qui vrbium Orientalium tributis præfectus erat, vel vt Romani vocant præfectus Prætorio. At grauiter ferens iniuriam illatam ſibi Chosroes, relictum legatum dies in barbara regione diſtinuit. Itaque Georgius per multos dies detinetur,introitu in regiam nondũ potitus, poſtea turbidis Chosroæ rebus, bonum viſum eſt barbaro, ne tum bellum contra Romanos ingereret: ſic Georgius in regiam receptus à rege Babylonio, cum præſentis tum temporis ſtatum fauentem haberet,perſuadet barbarum ne pacis pacta tranſiliret.eo igitur modo Chosroes volens nolens pacem amplectitur.Legatus autem omnia quæ & quomodo acciderant plenè fu-

165
nè fuſeque ad Imperatorem retulit, fine tamen rei non bono. Dixit enim Georgius Chosroen hæc regi dicere, Rex Perſarum ad ſubditos proloquutus eſt, ob legati virtutem bellum non mouco. quæ cum Imperator audiiſſet, iraſcitur legato, & Georgio admodum periculosè legatio illa ſucceſſit.

V I I.

QVOD Phocas Lilium electum tyrannicæ proclamationis nuncium, cum muneribus regiis ad Chosroen ablegauit. vnde Chosroes à tyrannide præſumpto belli argumento mundi illam vniuerſalem pernicem clanxit tubam, quæ vtrinq; fregit & Romanorum & Perſarum fortunas. ita quidem, prætexente Chosroe ſe Mauricij memoriæ aſſerturum exſequias & iuſta, Perſicum bellum eſt exortum. Lilius verò ſatis aſperè tractatus apud Perſas remanſit.

DE LEGATIS GENTIVM AD ROMANOS.

Ex Hiſtoria.

THEOPHYLACTI EX PRÆFECTI ET SCRIPTVRARII

I.

QVOD Philippici generi Mauricij ductu ex regia vrbe profectus Amidam venit. Legatione mittunt Perſæ vt certis quippe conditionibus deponeretur bellum: petierunt namque à Romanis,

vt pecunia pacem emerent, Mebode ſatrapa ad ducem ablegato. Venit ergò ad Romanos Mebodes, Perſa, ac Imperator exercitus concione coacta, ad ipſum audiendum, ordinem ductores, ac tribunos, & auxiliares, reliquoſque inter milites illuſtriores conuocat, qua collecta concione, Perſa in hæc verba orſus eſt:

CONCIO.

Viri bellicoſi, ne verò vos percutiat audientes hoc Legati prooemium. Si enim ſententias mutaueritis, mutabo & ego denunciationem. Excolite pacem depoſito bello, haſtæque & gladius vt antiquata valeant, & pro militia capite fiſtulam lene ſimul & paſtorale canentem melos; Perſarum rex amans pacis eſt, cultu ornatur aptiore, non ornamentis bellicis. regia enim eſt pacis placiditas, ſicuti tyrannorum propria Diſcordia. Viri qui eſtis eodem modo nobiſcum affecti, relinquatur bellum ſolum omnibus rebus inexplebile. Sanguine terram polluimus, ſæpè mortem vidimus, mortem cuius pictor eſt bellum, ego verò dico etiam archetypum, & humanorum malorum autor & magiſter per ſe & naturâ ſuâ. pecuniam amat aliquis. ſed opibus & paupertate ludimur, aliquando victi, vincentes aliquando, & iactati ſimul cum belli fortuna ancipiti, perpetuam quaſi volutationem patimur. Superbit alius auro principum, cum voluptate poſſidet perfidiam, quid enim in bello magis eſt perfidum pecunia? abſq; diſcrimine defertur ab illo ad alium, & ab alio rurſus ad alium, quaſi ſi euigilans ſomnium, quod ſomnia veris, videas, aut de

craſtin,

craſtinò crapulæ memineris heſternæ. Vos olim, ô Romani, libertatem feciſtis bello, vos etiam paci eſtote diſcipuli, annunciantibus vobis Perſis, vt lachrymoſum bellum excutiatis. qui enim primò peccant, illos etiam correctionis decet pœnitentia. ne putetis confidentiam eſſe hanc meam tam humanam orationem. Cum enim nullius indigeat Perſarum rex, heri fortè vel nudius tertius, quando ſuam terram auſus eſt calcare Romanus exercitus, prælio congredi renuit. Auro enim multo, doniſque lautis emere Romanos pacem iubet, nec ſanè pro pœna bellum imponere peccantibus fas eſt: quia mulcta pecuniaria & Perſicum animum placare, & ferociã Romanorum bellica expletam tuba, non nequit comprimere. Cùm orationem adhuc extenderet legatus, aduerſa omnium contra eum exſibilantium tollebantur ſuffragia, clamore inſuper ingenti, quaſi grauiter ferentium orationem barbari. Elatis enim videbantur eſſe animis, propter illas quas primum experti fuerant res proſperas, quum & Perſarum diſturbarunt ordines, & prædis ſpoliiſq; potiti Cardarigam circumuenerunt. Dimiſſa verò ab Imperatore concione, Perſa dicendi finem fecit, nec multis poſt diebus Niſibidis antiſtes honore ſacerdotali præfulgens, ad ducem abiit, eademque Metodis verba in medium proponit: quæ cum dux per tabellarium ad regem ſcripſiſſet, agnito Imperator ſigillo ducis edicto, ſtatim facto, Philippicum iuſſit impuriſſimas has inducias miſſum facere, tanquam obſtante Romana magnanimitate. Dux igitur Imperatoriis tabellis conuolutis,

propè Mambrathona tendit, & ſic quidem bellum inualuit.

I I.

QVOD Chosroes milite ſuo fuſo, ſeditionem veritus, propoſuit ſibi de pace conferre cum Tiberio Cæſare, de qua re conſultus Cæſar conditionem decreuit accipere. Mittit igitur, qui de pacificatione colloquerentur, viros ad eam rem idoneos, legatis lectis Ioanne & Petro ſumma apud Senatum dignitate, vtroque patricio, ac Theodoro Magiſtri, vt vocant Latini, præfectura condecorato. Chosroes etiam Sarnachosganem virum in Perſica politia ob dignitatem ſpectatum, cum aliis viris digniſſimis, bello per illos pauſam facturus. *Sed* circa illud fortè tempus in Armenia ingenti pugna commiſſa inter Parthos & Romanos, Tamchosroe ducente copias Babylonicas, Iuſtiniano Romanas, cum relicti aliquanto plus fuiſſent à priſtina illa ſtrenuitate Romani, pacis conditiones Medi ſuſtulerunt, iterumque bellum iis incendentibus exarſit, cum ſuper ſucceſſu iſto nupero non poſſent ſibi moderari. Itaq; Legati verbis tenus perfecto propoſito, intermiſſaq; pace domum rediere.

I I I.

QVOD Chosroes deuictus & fugatus à Baramo, regnoq; eiectus, & infra decimum lapidem à Circenſio ſub die in agro metatus nuncium amandauit, aduentum ſignificans, fortunasq; recentes, & refugium ad Cæſarem commeatuque domum poſtulato, auxilia à Romanis expeti. Tertia verò vigilia

169

gilia noctis nuncij ad portas aduenerunt, qui cum de quibus cauſis venirent, edocti eſſent portæ cuſtodes, ad præfectum celeriter vbi mittunt, ij quorum portarum erat cuſtodia, præfectoque tam inſperatæ feſtinationis cauſam exponunt. Præſidiariæ tum cohortis præfecto nomen erat Probo, quare Probus de mane intromiſſum in vrbem Choſroem, humaniter & beneuole excepit, in mulieribus item eius, ſubrumos puerulos geſtantibus nimis quam maxima humanitate vſus, defenſoribus quoque & ſtipatoribus, quorum triginta forte erant Choſroi, bona multa fecit valdè amicè. altera die Probum quæſiuit Choſroes per litteras mittens ad Cæſarem, & cum exaraſſet Sigillum regium per Probum ad Imperatorem dedit. Poſteriori verò die Comentiolum ducem Hierapoli cōmorantem, certiorem fecit de præſentia Choſrois, miſſis ad eum ſimul, quæ Choſroes cum honore dignitateque ad Cæſarem perſcripſerat. Comentiolus quæ ſibi ſignificata erant Hierapoli à Probo, per celeres curſorum ad Cæſarem curauit perferenda, quibus Imperator Mauricius auditis, ſubriſit, & de meliori ſibi ſpe gratulatus, detractiſque ſignis Perſicis, ea etiam quæ intus exarata erant, legere ſategit & cognoſcere. Dignitas verò Perſæ, qua regem appellabat, in his erat maximè. Alloquij enim opponam legationem non fucatam verbis, vt ruditate orationis mentem dignitatis exhibitæ non fictam inſpiciamus.

Choſroes Perſarum rex, regi Romanorum illuſtriſſimo, Felici, pacifico, potenti, libertatis vindici, tyrannidis oſori, moderato, iuſto, iniuriato-

rum protectori, benefico illatorum non memori, Salutem.

Duobus quaſi oculis mundum illuſtrari totum olim iam & à principio curauit Deus, hoc eſt potentiſſimo Romanorum Imperio, ac prudentiſſimè conſtitutis ſceptris Perſicæ Reipublicæ. His n. maximis Imperiis efferæ & bellicoſæ gentes comprimuntur, reliquiq; homines exornantur, & prorſus gubernantur: quarum rerum cum dictis noſtris eſt videre conuenienté conſequentiam. Quoniam verò & aliqui mali in mundo circumeuntes dæmones, omnia quæ à Deo pulcherrimè ordinata ſunt, auent quidem confundere, ne ſuccedant eorum conatus, decet amatos Deo & piiſſimos viros reſiſtere, vt qui habeant à Deo ſapientiæ theſaurum, & iuſtitiæ bracchium & arma. His igitur circiter temporibus nocentiſſimi dæmones contra Perſarum ſurrecti Rempublicam, peſſimis quibuſque perpetratis, & ſeruos contra dominos armarunt contra regnum famulos, contra ordinem diſturbationem, contra decorum indecorum, & omnia quæ contraria ſunt bonis, produxerunt. Baramus enim deteſtandus ille ſeruus, à noſtris maioribus prouectus, in hanc honoris lucem elatus, nec potens tantæ gloriæ magnitudinis, ad perniciem delapſus eſt, & regnum ſibi promittens omnem turbauit Perſarum Remp. & omnia facit & allaborat, vt magnum extinguat oculum poteſtatis, vnde capiant gentes feræ & iniquæ libertatem & potentiam graſſandi aduerſus manſuetiſſimum Perſarum Imperium: nec hoc ſolum, ſed etiam procedente poſthac tempore contra vobis tributarias vires, quæ coerceri

non

non poterunt,& maximè pernicioſas. Decet igitur pacificum pro veſtra prouidētia, infeſtato regno & à tyrannis violato adhibere manum ſalutarem, & in hoc conferre veſtram operam, vt Imperium incipiens deſtruatur, & ſalutis communis quaſi tropæa generalia in Romanorum republica figere, & vos proclamare Conditores, & Seruatores,& Medicos adflictæ Perſarum Reipublicæ liceat. Omnia enim quæ iuſta ſunt, à potentiſſimis regibus expediri omninò conuenit, & inde ſibi fortitudinis encomia, & gloriam poſt mortem non abolendam comparare ac ita exemplo eſſe, quod non debeant arma ferre ſerui contra dominos. Varietatem igitur Perſicarum in politia rerum ex officio veſtro eſt gubernare. Splendidius enim inde quoque per nos Romanorum fiet nomen. Hæc ego Chosroes, vt qui præſens adſim, per epiſtolam alloquor. Chosroes tuus filius & famulus. Non enim propter fortunam eorum quæ euenerunt, aſpernaberis aptum hoc conditioni vtriuſque noſtrûm nomen. Datores bonorum Angeli Dei regnum veſtrum ſoſpitent & conſeruent, ne & ei aliquando aut opprobrium,aut tyrannis illudere poſſit.

IV.

QVOD Chosroes impetrata petitione per Legatos ad Mauricium miſſos, ad vrbem Hierapolim dictam venit: nec ſanè dux Comentiolus non eſt non honorariis muneribus proſequutus eum, qui tum carebat regno. Sic enim viſum eſt Mauricio, & vt viſum eſt,ita quoq; procuratum eſt. In regione itaq; ſic dicta Bcdamas, obuiam factus Chosroi, Comentiolus regio illum donatum apparatu,

magnifico prorſus ſatellitio comitatuque produxit. Nona verò etiam die nuncium ad præſidia Perſica Martyropolim miſit Chosroes hominem dignitate Satrapam, nomine Miragdum, ſignificans ſimul & recentem fortunarum ſtatum, & Imperatoris eam magnanimitatem, quam tota vrbs etiamſi refertiſſima non poſſit capere, quippe quæ immunes belli, in amicitiam recepti eſſent Perſæ. Beſtamum etiam illuſtrem apud Perſas virum Adrabiganum in Armeniam amandauit, vt & vrbem, & qui ibidem commorarentur Perſas Imperio Cæſaris ſubiiceret, & hæc quidem manifeſto. Vt verò vafer factus, & nihil non dolis & fraudibus poſtpoſuit, hoſpitalitatis iure violato, ac infinita iſta beneuolentia pedibus calcata. quintum nuncium ablegauit ad Chaldæos habitantes Martyropoli, néue quid præſidiis deeſſet, néue iis, quæ palam egiſſet, apponerent animum. Occaſione igitur reditus ſibi facta in regnum. ad Imperatorem Romanorum venire inſtituit. Quare Mauricius cùm reſciſteret huius deſiderium, literis regiis ne ſe adiret vetuit, contemnems Imperator gloriam, & in Chosrois ſimul vtilitate & commodo allaborans. Putauit enim non amplius illi procedendum eſſe ad Perſarum Rempublicam, ne ita à Baramo occupatæ tyrannidi inualeſcendi ſubminiſtraretur argumentum. Primo autem vere Chosroes ad Regem mittit, tertiaque die conuocata ab Imperatore concione, cum honore ingenti adoratur à legatis. Itaque Silentio indicto Senatui, ac libertate Perſis ab Imperatore facta, ea quæ haberent exponendi, primarius inter legatos profuſis lacrymis, ac inde

inde captata Imperatoris miſeratione, in eiuſmodi verba dixit.

Quære in de Concione.

Collatis vtrinque verò multis, & his ita à legatis dictis, ac petitione facundia ſermonis extorquente, vt quæ proponeret probarentur ac Placerent, à Senatu ſimul & ab Imperatore decretum eſt, vt Chosroi Romani opitularentur, Baramoque ad nixo ſtudio bellum facerent. quippe cum indignũ Latino iudicaret Imperator Imperio, ſi non præuaricato res contra arma ſumeret, periclitareturque potius rei nõ honeſtæ gratia propter promiſſi magnitudinem, ac Romani contracta ignominia non obliuiſcendis in æternum opprobriis paſſim diffamarentur. Decreti igitur huius adhuc eadem die per vrbem regiam ſententia pronunciatur & & promulgatur. Quinti verò hi legati admiſſi ad Cæſarem, doniſq; ornati regiis, litteris inſcriptam regis ſententiam ſecum ferunt. Præterea Saramen & Chosroperozen, alioſque iam ante belli tempore ab Romanis captos ad Chosroen Imperator vna cum legatis remiſit. At Chosroes regiis lectis litteris, miratus iſtam Romanorum virtutem, relicta Hierapoli, ſimul cum Comentiolo ad vrbem deuenit Conſtantinam. nec multò poſt antiſtes Melitinæ Domitianus, iuſſu regis ad Chosroen venit, qui Domitianus cognatus erat Imperatoris, profeſſione ſacerdos, præſtanti vitæ ſanctimonia, oratione placidus, ad negotia conficienda ſolers, conſilio ſapientiſſimo. Adiunctus illi ibat Gregorius Antiochenæ præſes Eccleſiæ. Nam & hoc volebat

D 5 rex,

rex, & quemadmodum voluit, ita factum eſt. Cum ergo ſacerdos vterq; Conſtantinæ eſſet, ſermonibus ac muneribus delinientes, melioris ſpei deſolato ſpem fecerunt. Quare Choſroes per Niſibin miſſis Legatis, Perſis in memoriam vocat beneficiorum in ſtirpem regiam admonitis vnâ concionis ſuæ auditoribus, quòd tyranno nec fauendum ſit, nec confringendæ leges veteres, ac patriæ, quæ tot inde iam annis in Perſarum ſint obſeruatæ Republica, quodque nequaquam à rerum nouarum molitionibus turpitudo abſit, & ignominia.

V.

QVOD vbi Baramo primum innotuit, de conſeruato Choſroe, humaniterq; à Romanis excepto, legatos miſit, cauens Imperatori, ne Choſroe quaquam fortunis ſubueniret, pactus ideò & vrbem Niſibin Romanis ſe daturum, & loca vſq; fluuium Trigidem. Sed quoniam non ille Baram erat, qui nomen regium extingueret, fruſtra tum fuit.

V I.

QVOD re contra Baramum benè feliciterq; geſta, Choſroes ad Mauricium principes aliquot è comitatu ſuo miſit, & eorum quæ euenerant expoſita fortuna, petiit vt auxilio miſſo metum ſibi demeret, opitulareturque quàm citiſſimè. affirmabant etiam Legati ſi pecuniæ copiam Imperator faceret Choſroi, refuſurum eam Romanis quam primum ſuum recuperaret regnum. Romanorum autem rex, præterquam quod armis coniunctis ferebat opem, maximam quoque ei pecuniæ ſummam

ſummam eſt largitus: ac ita Choſroes relicta Imperatori Syngrapha, ingentem pecuniarum vim reportauit, quam deinde diribitam Perſicis ſuis copiis diſtribuit.

VII.

QVOD non longè poſt Saramen ad regem amandauit Choſroes, orans Cæſarem, vt ducatu Commentiolum deponeret, vt qui contumelioſus eſſet, & ſub prætextu auxilij afferre detrimentum. cumque Sarames ſecundam quod iuſtus erat appulſus Byzantium, Legationem Imperatori expoſuiſſet, Cōmentiolo ab officio ducis depoſito aditum in Perſidem ademit Imperator, Narſique, qui ducis erat armiger, ducatum dedit. Sexta verò die Mauritius cingulum variegatum gemmis, & tiaram regiam, lectulosque & menſas aureas Daras miſit ad Choſroen & inſtructa in ipſius gratiam regia pompa ex ſuis dorypho-ris, magnificè donauit; vt ne deſtitutum apparatu regio Romani Perſæque aſpernarentur. Cinctus eſt igitur Choſroes vndique ſatellitio regio, quanto apud Romanos ſceptra regia obſeruari obtinet. ac ita videntes Medi quibus viribus ab Imperatore circumdatus ſit Choſroes, relicta tyrannide tranſiuerunt ad partes Choſrois & Barami quidem res indies debilitatæ ſunt. Choſroi verò ſecundum animi ſententiam, accreſcentibus eo modo viribus, ſucceſſere. quapropter etiam decreuit aliquod Choſrōs Mauricio beneficium referre, literiſque regiis Mauricij Imperio pro munere obligat vrbem Daras,

Delau-

Delauzam quoq; Satrapam, virum ſpectatum Byzantium mittit, qui ferret claues opidi, & cum clauibus quod literis continebatur munus. tradidit itaque cum eſſet in vrbe regia legatus Romanis vrbem, & ad colloquium Imperatoris admiſſus eſt. Mauricius autem, cum donaſſet hominem regalibus muneri que, eorum quoque quæ ante pepigerat firmauit fidem, Chosroe ad eam rem nominato Filio.

VIII.

QVOD Veritus Chosroes, ne quis clam percuſſor à ſubditis ſibi ſubſtitueretur, rogauit Mauricium, vt ad cuſtodiam corporis mille ſuorum ſibi militum daret. Romanus autem rex cuſtodes corporis Chosroi miſit.

IX.

QVOD Mauricius ad Septimum vſque qui ita dicitur locus, peruenit, quoniam Hunnos educi audiuerat, certiórq; factus de Dalauræ Perſæ ad ſe aduentum recurrit ad vrbem regiam, compoſitaque, vt par erat, legatione, propoſitum rurſus abitum promouit.

X.

QVOD die tertia legati ab vrbe regia miſſi ſunt, petente ſenatu ab Imperatore vt rediret. Cui is legationi obſecundans, cum legatis rediit.

XI.

QVOD ad Anchialum metatus vallum, ibidemq; per quindecim dies moratus Mauricius, cum venire

venire audiuiſſet à Perſarum rege legatos Byzantium, in vrbem rediit regiam. Tertia verò poſt die Celtiberiæ eodem quoq; Legati veniunt. Legatis nomina erant Boſo ac Betto, quos princeps gentis (Franci hi recentiore lingua vocantur. at illi nomen Theodoricho) ad Imperatorem miſit, promiſitq;, ſe, ſi vectigalia ſibi darentur, opitulaturum Romanis, ac pro muneribus cum Chagano geſturum bellum. Imperator tamen muneratus legatos, ſi ſua auxilia ſubpeditarent Franci, vt id gratis facerent iuſſit, nequaquam emi paſſus à Romanis opem barbarorum. Interim Chaganus ad priora pacta additamentum ab Imperatore flagitat, in qua re barbarus non auditus, ſtatim reſtaurauit bellum.

XII.

QVOD Priſcus quindecim valla metatus, traiecto Iſtro fluuio, quarta die ſuperiores Nobas venit, quod cum reſciſceret Chaganus, ad Priſcum legatos miſit, cauſamque ſcire voluit aduentus Romanorum. Reſpondit dux, ad venationem & equitatum eſſe loca idonea, & aquoſa ſatis: cui Chaganus oſtendit alienam terram calcare Romanos, citraque pactum agere Priſcum, & apertè pacem ab eo conuelli. Reſpondet Priſcus, Romanum quoque tu ſubis ſolum. Chaganus, armis, inquit, & iure belli. Romanos hoc amiſiſſe. Chagano amplius rixante & diſceptante de his locis, Priſcum fugam ex oriente exprobraſſe dicunt Chagano. Inſtante namque æſtate Chaganus, qui laudibus, à Turcis in oriente celebratur, legatos miſerat ad Mauricium Imperatorem, eaque concinnata epi-

ſtola

ſtola exarauit epinicia: REGI ROMANORVM CHAGANVS magnus dominus ſeptemgentium, dominus climatum vniuerſi.

XIII.

QVOD incipiente vere, inſtante maxima temporum feſtiuitate, qua paſſionem ſimul & reſurrectionem Dei ſeruatoris ſolent celebrare, fameq; Romanos premente, inſperato quodam ſiue caſu, ſiue prouidentia Dei, Chaganus ad Romanos mittit fami impoſiturus finem. quam rei nouitatem in dubium primum traxit Priſcus, nec ei confidit. poſtquam verò ſecurus factus, Romani inter ſe & barbari fecerunt ac ſuſceperunt quinque dierum inducias, ſublatoq; omni metu, Chaganus eſurientibus Romanis ad frumentationem præbuit vehicula. propterea tam inopinata iſta barbarica humanitas ad noſtra vſq; tempora eſt propagata. quarta die Romanis copiis inſtructis ad vitam rebus neceſſariis, Legatos miſit Chaganus, Indicas à Priſco petiturus merces. in qua re barbaro Priſcus obſecundatus, & piper miſit, & folium Indicum, caſiamq;, & quæ dicitur Coſtus. Hic verò acceptis Romanis muneribus, aromatibus delinitus, admodum oblectatus eſt. & ſic à pugna abſtinuit, donec Romanis publica illa ingens celebritas præteriiſſet: ob inuicem verò ſe cum metati eſſent, vtrinque tamen omnia erant ſecura. finito deinde feſto, nuncios Chaganus miſit, ſeiungendarum à ſe mutuo copiarum.

XIV.

QVOD à quinta pugna, deuictus à Romanis Chaganus, antequam Imperatori aliquid de facto conſta-

conſtaret, Legatos ad Mauricium miſit de captiuis recipiendis. Erant ea millia ſeptemdecim cum ducentis. Mauricius itaque minis barbari percuſſus, orationeque circumuentus, per tabellarium Priſco mandauit, vt captiuos redderet Chagano Abaros. ac ita quidem à periculo liberi redduntur Chagano barbari.

FINIS HISTORIARVM THEOPHYLACTI.

THEO-

THEOPHYLACTI SCHOLASTICI, COGNOMENTO SIMOCATI, EPISTOLÆ Morales, Ruſticæ, Amatoriæ.

Interprete Iacobo Kimedoncio, F.

Eth. Critias Plotino. I.

Cicada vocalis ineunte verè muſicam ſuam auſpicatur: vocalior verò canoriorque,& loquacioris naturæ auditur circa meridiem, quando expleta quaſi eſt atque incenſa radiis ſolaribus. Trinnit igitur hæc meloda, ſuggeſtus loca conſtituta arbore, agro Theatri; & viatoribus muſicæ periculum proponit. Itaque & nos ad tuas virtutes canendas incendimur. Confouent enim aliquo modo eæ, & inflammant ad encomium: quia olim ſepultos iam ſitu, tuis literis ad virtutem reſuſcitaſti. ita, qui Critias eram, factus ſum Plotinus, qui, vel extra corpus Philoſophatur hic in terra, vel Philoſophia corpus induta ſolidum cum hominibus, veluti homo conuerſatur.

Ruſt. Dorcon. Moschoni. II.

Ductor ouium admirandus mihi aries mortuus eſt; ac paſtorali ducatu carent pecudes, ita malum quidem aliquod paſſus ſum maximum: Videor enim mihi iratum eſſe Pana, neque eum aluearium primitiis honorauimus. quapropter ad vrbem iter facio, iratum deprecaturus, & ſimul ciuibus duritiem

tiem eius exponam, Propter placentam dicens, Pan gregis mei ducem ſubſtulit.

Amat. THEANO EVRIDICÆ. III.

Naturalis decor in te præteriit, & vicina rugis eſt facies. tu verò fingere veritatem niteris, ſuppoſitis pigmentis amatores eludendo. Concede tempori anicula. neque enim ſpecioſa ſtant floribus in ſenectute prata. memento & mortis, cui appropinquaſti, & temperantiam ex neceſſitate inſtituas excolere. Etenim iniuria afficis & ſenectutem & iuuentam: quarum hanc dum ſimulas, ementita es: illam, dum habes interpolaſti.

Eth. EVAGORAS ANTIPATRO. IV.

Terminos mundi opifex marino quoque æſtui conſtituit, & littoribus pelagius cohibetur fluctus: & arenâ quædam paruo interſtitio continentem diſcriminat à mari. Neque enim conceſſum eſt mari periculum aliquod inferre vicinæ terræ: ſed recurrit ac reuoluitur in ſe ſua per furentia veſtigia, magnam terræ minitans eluuionem. Terminos igitur & leges, ô Antipater, animo tuo pone, nec manum adbibeas ad iram. Et verò eodem modo cum manibus, modeſtè philoſophiceque linguam inſtituere ſummus, gradus eſt perfectæ virtutis. Sed ſi non par ſis huic moderandæ, quantiuis contumeliis animum tuum oblecta, ſi canibus adſimulari volueris latrantibus. Sic enim iratum quoque mare, iram vltra ſpumam & agitationem non producit.

Ruſt. ÆGIRVS PLATANO. V.

Malas vicinas habemus, ô amice, grues. bellum perpetuum gerunt circa hunc agrum. Nam neque cum ipſis patribus noſtris rem habuerunt compoſitam, neq; nobiſcum poſt illos rebellare intermittunt: licet eas primitiis è meſſe ſæpenumero donauerimus. Sed & agelli partem quandam tanquam Deo ſacram ingratis iſtis conſecrauimus: quæ dona, vt videtur, nihilominus tamen non proficiunt. quare hinc omnes abmigremus. Saxa enim nobis vtilius erit colere, quam campos & colles, vbi grues habeas vicinas.

Amat. ERATO TERPSITHEÆ. VI.

Aureum iſtum Callicraten imaginem tibi pinxiſſe dicunt. Picturam verò non Terpſithean exprimere arbitror, ſed, ad quam rem non ementitas Parrhatij tabulas appello, Lacedæmoniam Helenam. Dupliciter itaque peccaſti contra artem, in quam contumelioſa es reperta, & contra naturam, quam fallis. Mentiri namq; artem coëgiſti Parrhaſij, & quæ tibi non adſunt, per tabulas nihilominus deducere: tanquam ſi ita velles naturæ vitia fucare, plurimam eius inertiam arguens. Ego verò etiam pictorem laudo, vt qui tuæ informitatis pictor eſſe noluerit, & prudentiam naturæ ſum mirata, quæ peſſimæ animæ corporis decorem non concrediderit.

Eth. SOSIPATER TERPANDRO. VII.

Mos eſt equabus, & vt mihi videtur inprimis ille bonus. Namq; laudo in illis quod ſingulari quodam

dam in fœtus amore pollent. Sed quis eis eſt mos? Lactentem adhuc equum, quum nutrice deſtitutum viderint, & longius alicubi abeſſe matrem, maternum aliquid faciunt, ſicuti debet ea quæ pullum peperit (nec enim ſuæ ipſius naturæ obliuiſcuntur) & æquo per omnia faciliq; animo fouent relictum, quemadmodum fouent veros propriosque fœtus. Et hæ quidem à natura ita ſunt affectæ. non enim Solonis cogunt leges. Transferam ſermonem ad te. nepotem tuum deſpicis de ianua commeantem ad ianuam, miſerrima tunicula veſtitum. Bruta certè tibi mens eſt magis, quam brutis. Canes alienos & externos nutris: ita enim verius dicentur, qui tecum conuerſantur adulatores, nam optimè tibi velle videbuntur, quouſque de tuo luxuriantur, ô miſer, allatrabunt autem omninò & te, crapula iam qua ſe nuper ingurgitauerant, eructata. Etenim natura ſecum fert adulatorum, & memoriam ad inferendum malum, & obliuionem boni. Sero tandem nepotis curam, Terpander, ſuſcipe. quod ſi minus, diuinum iſtud numen inexpugnabilem habebis hoſtem, quod flentis naturæ lacrimis gladium ſuum acuit.

Ruſt. DAPHNON MYRONI. VIII.

Quouſque excauas agellum deriuando? & an etiam pluuia delapſam aquam exhauries, miſer? aut fortè machinaris vt per hanc ariditatem liberi mei fameant? tuus enim ager circum circa inundat, noſter verò etiam aquæ naturã aut eſſentiam ignorat hactenus. Rogantor, vos nubes per Deos an Soli Daphnoni aquam demitatis. Vir inuidus, magnum

eſt malum. quod ſi verò & vicinus eſſe contigerit ineuitabile infortunium, & vix cum ipſa morte deſiturum.

Amat. EVRIPPA DEXICRATI. IX.

Ad IX. deſinentis Antheſterionis rediturum ad nos te recepiſti, & fidem fregiſti, Dexicrates mihi verò & renes excanduerunt in amore, & inſtar facis exarſerunt præcordia: quotidie quoq; profudi lacrimas cum gemitu, & in ſomnis tuum ſæpe mihi finxi reditum. forium præterea quocunq; ſtrepitu ſemper mihi te adeſſe imaginabar. tu vero, Dexicrates, in aliam amorem transfudiſti, & ad peregrina noua vé tibi animus eſt propenſior. Celerrimè namque ſatiari Solitæ ſunt inertium animæ. Infidares & infamis eſt amores & cupido. cades & aliquando tu. Nam calamitates eorum qui iniuriam patiuntur, ad inferentis caput reſiliunt.

Eth. HERMAGORAS SOPATRO: X.

Deiecto nimis animo paupertatem flere te audiui, diuitiis malè dicere, tanquam non æquali modo euntibus inter homines, his quidem poſſibilem impetratu, his verò impoſſibilem præbendo ſui poſſeſſionem, ac ita quodammodo naturam ſui hominibus inuidendo. Si enim Solis lux in commune æquo modo, & ignis copia omnibus eſt promtiſſima, ſi amnium torrentiumque & perennium curſus omnibus ſunt affluentiſſimi; quid igitur inquis eſt, quod aurum natura ita abſconditum ab hominibus repoſuit, propter quod maxima mala ſurgunt quacunque Luna iſta videt? ego verò magnum

gnum in riſum effundor tuarum diſſertationum ergò. Nam quam hypotheſin vituperationis poſuiſti, eſt eadem ipſa laus naturæ, & tu idem paſſus es cum noctua, ſiquidem videntur illi cæcitatis eſſe cauſa, illuſtres fulgores Solis. Vtilis hæc eſt auri fames in humano genere, Soſipater. Inde etenim & artes vitæ acceſſerunt, & vrbes ædificatæ ſunt, & in contractibus orta conuentio. ſi verò ſummatim dici debeat, omni ornatu priuatus eſſet quacunque terrarum locus inhabitatus, ſi non auri interceſſione factum foret, vt homo alter alterius inuicem indigeret. Nam neque nauta nauigabat, neque viator faciebat iter, neque aratorem bouem agricolæ poſſidebant, non regiæ maieſtatis adorabantur Sceptra, non magiſtratibus & iuridicis ornati erant ſubditi, non dux agebat exercitum. Quod ſi autem ſecretum ſermonem ſcire vis, virtutis & malitiæ habenas habet aurum, & probatur appetitus animæ per ipſum, celticique fluminis eſt æquale viribus. Falſæ enim virtutis & vitij veriſſimum eſt argumentum.

Ruſt. CALLISTACHVS CYPARISSONI. XI.

Infructuoſas & feras arbores heri fortè exuſſit Simichidas. Eiuſmodi enim ſententiam tulit aduerſus arbores quæ ad maturitatem non proueniunt. at natura omniuori ignis impetum habuit immoderatum, viciniq; agri ſubito & ex improuiſo fundum perdidit: hic autem relicta pelle ligoneque ad vrbem vadit: auxilium Rhetoris aſſumpturus. & Simmichidæ tribunal eſt indictum. idem ego contra te, Cypariſſio, moliar, niſi tuas apes ab

alienis pratis abſtinere feceris: & diſces alienis viis obliquum aditum non haberi.

Amat. Melpomene Praximillæ. XII.

Ad Leocorium moras traxit aulæda Chryſogone. fortè etiam oblectare ſe putat meos amatores, aitq; nos meretricula factum iſtud ægrè ferre. ego verò id quod fecit non multi facio. Amatores enim omnes Chryſogonæ mores & habitum cum noſtris conferrent. Sed ſis mihi, per Deos, non falſi reſponſi nuncius certiſſimus, & Lacænæ dicas: Magnas equidem tibi gratias huius rei gratia, Chryſogona, debemus. Tua enim deformitate noſtra apparebunt venuſtiora. quia etiam non præſente graculo & coruus decoris annumerabitur auibus.

Eth. Aristo Niciæ. XIII.

Diſciplinoſiſſimum dicunt animal eſſe elephantum, & dexterrimo captu ad omnia ea quæcunque ab hominibus edoceatur. neq; enim in illo tantum moles miranda corporis, quantum diſciplinæ cultus æſtimatur. & ea quidem Indorum pueri diuulgant. At ego Niciam admiratus ſum, irrationalibus animantibus rationem habere irrationaliorem, vt, qui, cum ſis viri eloquentis filius, paternis ſtudiis abiectis, in aleæ ludo ac palæſtræ otio vitam deteras, egreſſus ingenuitatem generis. Quare ſi filius audire velis Hermagoræ, ſerò aliquando ad eius vitam redij, & bonum eſt, ſi in ſenectute ſapientia adſit & prudentia quod & Platoni videtur. Si verò moleſtum eſt ex priſtinis vitiis reſurgere, & teipſum Hermagoræ filium iactitas, ſcito te futurum

rum furem paterni ſepulchri. Nam tua malitia virtutes eius infamas,& contumelia afficis.

Ruſt. MYRONIDES DAMALO. XIV.

Gregem totum puer tuus læſit, mulctralia ſemper lacte complens. Ad platanos ſecedit furcifer, ſtratoq; ſtibadio decubare ſolet, & inertem vitam amplectitur. deinde fiſtula prehenſa quaſi conuiualem cantum ad ſecuritatem adiicit, & agreſtes effingit modos.pecudes verò hinc inde diſparguntur,& aditui cuius ſunt obnoxiæ. Sanè & fimum leui precio diuendidit nebulo, & Myroniden iniuria afficere nequaquam veritus eſt, abſorpto heri vino fæculento. Caricæ enim mihi & cicadæ ſunt obſonio. at verò diuinus hic adoleſcens caricas pleraſque omnes deuorauit,& cicadas neſcio quomodo deglutiit. Fœcatum vero eſt exhauſtum, & partem poſtquam ſatur eſſet, poſtulabat referendam domum. Abſit in poſterum ab agro meo Clinia. Optabilius enim eſt à malis abeſſe procul, quam domi alere hoſtem occultum.

Amat. ATALANTA CORINNÆ XV.

In palæſtra Augiam & ſpectauimus, Corinna, & ſpectaculnm neque ſermo edicere, neque pictoris manus imitari poſſent. Aderant enim adoleſcenti robur & vires, erectum firmumque corpus, pectus piloſum, oculi quales ſunt ceruarum ſiue dorcadum,viſus neq; rubens ex ira, neque mollicie deiectus, ſed ſimul virilis & placidus. Color corporis neq; albicabat,vt in fœminis,neq; nimis erat niger.

crinis modicè criſpus præ teneritudine, & purpurantem tempore malaciæ pontum retulit, & quando vicinam terram leni allapſu circumfundit, furore fluctus & barbarie ſedata. Genarum rubor non ſupra modum, quod fœmineum, neq; rurſum earundem decorem offuſcabat pallor. Naſus elaboratiſſimè detornatus, vt plurimum naturæ opificis artificium argueret. Oleum circumfuſum Solis in modum fulgerabat, & ſplendore lucis palæſtrâm quaſi radiis illuſtrabat. animo inde, Corinna, vulnerata maiorem accutioremque dolorem ſentio. Amatorios enim affectus commemorare pudet fœminas.

Eth. Gorgias Aristidi. XVI.

Cùm fœnore accepiſti, gaudes; exactus doles. & incidens in fœneratores metu percelleris, quaſi feris quibuſdam incidere viſus immanibus. & circum ſpectas triuia, & oculos coniicis ad porticus euitare cupiens fœneratores: ſicuti nauigantes in magna tempeſtate ad portum applicare deſiderant. Sed & malum malo addis. Poſtquam enim fœnori ab aliis acceperis, aliis reddis debitum. idem aliquid faciens, quod ij qui ſe metu mortis præcipitant. Quoniam igitur fœnerari multiplex hominibus eſt malum, & fabuloſa iſta hydra, cui ſponte renaſcebantur tot capita, multò eſt peius, caue etiam ne vel inſomnis tibi fœneratione̅ imagineris. Sic enim libere adſpicies ſolares radios, & aërem in terra leniter nimis & placide reſpirabis.

Ruſt. Lophon Pediadæ. XVII.

Ne Leucippus. Malam enim nobis agellus enutriuit

triuit beſtiam iuxta terminum colliculi. Mihi & Soſtrato indictum eſt tribunal. Leucippus autem toto animo perditus eſt, vt qui auro corrumpi paſſus ſit iudicium. talis in aurum affectus abripuit hunc miſerum. quod cum Soſtratus ſciret, auro victoriam redemit, & muneribus ſufferciit fauces Leucippi. Virgo Iuſtitia vitiata eſt, & auro victoria appenditur hominibus. Iuſtum enim & momentaneum iudicium periit, & dona magis æſtimantur, quam quod iuſtum eſt.

Amat. EROTYLVS HIPSIPYLÆ. XVIII.

Turgent & palmæ amore naturali, & mas appetit fœminam, & incuruatur amore mas, & frondibus amatam nectit. quod ſi longius à mare diſtet fœmina, ſemen ex fœmina ſublatum imponunt mari, atq; ea callidate ſolantur huius amorem. Si igitur ad vos tam cito repedare non potens pictoris opera mihi mitiges hunc amorem, & in tabulis pictura tuas cogitationes mihi exhibeat. Nam & ſpectatio in amore nimios fallendo ſolet eſſe par.

Eth. DIOGENES CHRYSÆ. XIX.

Diuitiarum te condum, non dominum opum eſſe perhibeo, id quod etiam tui contra te lata ſententia produnt mores. Bonis enim vt participent aliquibus impiæ animæ non eſt fas. Refundas idcirco terram, & aurum cuſtodi miſerrime. non enim tuæ, ſed penes te creduntur eſſe diuitiæ. Nam Phrygis Midæ malignitatem æmulatus, eſuriendo diteſcis, veluti laqueo ſuſpenſus aureo.

RD

Amat. CHLOAZON MECONI. XX.

Amaſiæ heri, Mecon, pyra miſi, hæc autem repente ſurgens ex lanificio abiecta trama, accepta dona proſtauit porcis, & hominem à me miſſum, vt nuncium infauſtum amãdauit. Ego verò fleo. terribilis enim amor iniuriam nobis facit, qui in tam feroci puella nos cogat. Cçcutiunt fortuna & amores, hi quidem dolores, hæc verò felicitatem vanam & fortuitam exhibendo.

Amat. PERDICCA RHODOPÆ. XXI.

Inamænè canis, & mœrore exples amatores, non lætitia. Tragœdiam namque voce querula cantillas cantum deliniẽtem nihil auditores. & plorant amatores triſtitia affecti. temperantes enim potius docendo ſunt tua carmina, quam libidinantes, non enim elaboraſti cantionem, per illecebras. Parcas igitur nobis, per Deos, in poſterum dolores & mœrores noſtros. Nam neq; aulæda videris eſſe ſpectatoribus ſed præfica, & omnes cera aures obturabimus, cum canas: audituri alias Sirenum planctum, & Muſarum Næmias.

Eth. ANTISTHENES PERICLI. XXII.

Philippi filius Alexander ſecundis fortunis nequaquam intumuit. ſed philoſophica moderatione direxit fortunæ ventos, maximis ac ſummis eius fauoribus non ineſcari ſolitus. quare cecidiſſe videns Darium in belli ancipite fortuna, Chlamyda texit hoſtem, virtutis & fortunæ oſtendens generoſitatem. inde calumniati ſunt ſubditi Alexandrum, regisq; pietatem peregerunt ream. Sed quidem

dem Alexander, vt erat philoſophus, reueritus eſt, vt videtur, fortunæ varietatem. quare miſſis ſibi quam plurimis vna bonis, O Iuppiter dixit, intermiſce aliquod bonis etiam infortunium. Sic Alexander cautè verſabatur in rebus ſummis ſapientiſſimè. Tu itaq; ſi naturam viciſſitudinibus obnoxiam hactenus ignoraſti, eius rei non multò poſt videbis periculum factum, quod te condocefaciat & cognitione antiquiora habebis documenta. quod ſi ſponte volensq; cæcutias, difficiliori pœna exerceberis, peccatorum & ignorantiæ ſubiturus mulctam.

Ruſt. Astachyo Miloni. XXIII.

Agrum ab aconito purga, meas enim corrumpis apes. Ne per Deos, homini agricolæ laborem exhibeas, ne fucum quidem vobis perdidit. quid igitur abſq; cauſa iraſceris vicino, & niſi abſtinens à malitia peſſime, tuam ego proteruiam meis inſcribam foribus, & iniuriam vicinis indicabo, vt ita te velut ominoſum euitent.

Amat. Telesilla Laidi. XXIV.

Neq; metallarij, quum auri venas inueſtigant, neq; foſſores puteorum, ſecreta terræ ſubterranea ſcrutantes, cum aquas quærunt, ſic enituntur in arte ſua vt oculi eo acrius videant, quemadmodum ego totam vrbem excutio atque rimor, an Ageſilaum alicubi forte peruidere poſſim. Potionem enim ei præparaſſe audio mænadem iſtam Leucippen vt impetuoſum quaſi fulmen deſubito in nos inciderit: vnde tum inſolabiles iſtæ mihi ſunt ortæ lacrimæ. quapropter in peragenda tragœdia nos noſtras quoq; partes habebimus. neq; poſthac

reſurgen-

reſurgentem Solem videbimus; atque ita Medea fiam ſæuior, & Phædra.

Eth. SOSIPATER AXIOCHO. XXV.

Fratrem nuper te ſepeliiſſe dicunt, & nimis ægrè immoderateque ferre eius obitum. & quomodo te philoſophum hominem ſatis admirer, ob tale quid affectui ſuccumbentem? Somnus enim quidam eſt, quæ fertur apud nos eſſe mors. conſueto quidem longior, ad futuram tamen diem ſi conferas breuiſſimus. In ſeceſſionem breuem ablegantur mortui. non longò poſt futura & eſt noſtra ſeceſſio. Perfer hanc diſiunctionem, exſpecta iterum coniunctionem. ne afficiatur ita tuus animus, vt corporis amore trahi videatur. quoniam Plotinum quoque puduit, quod eſſet in corpore. ita triſtem habuit iſtum philoſophum. mortalis hic circumiectus, ſiſte hactenus mihi lacrimas, terminos pone triſtitiæ, prudentia ſubueni affectui, medicus eſto tibi ipſi. Rationem habes, iſtud eſt medicamen, *Nepentheſq́, & mite, malarum obliuio rerum.* non ex meliore ſtatum peiorem transfert vnquam creator ſuas creaturas. mortalibus mortalia relinquamus. magnis enim maculis hinc animæ iſta maieſtas inquinatur. ego natiuitatem, quam mortem magis plorarem. Illa namq; lacrimarum eſt initium; hæc aduerſorum ſolutio. ignorantia nos vinctos habet, De morte igitur ita accipiamus, non quod malum ſit, ſed quod ignoretur ab hominibus. nemo enim qui eam quid ſit ſciat, tam temerè eam accuſat. Quare ne Niobæ ſimilis fias, ne videaris & ipſe in lapidem humanam naturam transmutare.

Amat.

Amat. CECROPIS DEXICRATI. XXVI.

Magnetem lapidem amare ferrum dicunt & ideo viuere affirmant lapidem, donec cum amato cohæret. Quam enim primum lapis à compare diſſociatur, ſtatim emoritur, & vires ſuas deponit. tales affectuum conſenſus etiam inanimatis inſunt, Dexicrates. Ego autem quid patiar amiciſſime, tantopere à familiaritate tua relicta. Eloqui ea arbitror acerbius mihi eſſet, quam pati. Sic dolore afficiam, qui me afficiunt. & Amoribus fiam telum, ſcintilla, Venerea maris igni ardentior.

Ruſt. THERISTRO SPIRONI. XXVII.

In Ætnam Siciliæ montem transmigramus, dicentes Atticæ telluri Vale. Nunquam enim infeliciorem ad fructus ferendos terram vidimus. pro frumento, murrhinas; pro ordeo hederas nobis edidit arca verò mea panaria vacua eſt: & area præter famem nil nouit. Quapropter primis ſeminibus non enatis, ſecundo non reddentem non ſero. Non poteſt agricola famem & militem ſufferre hoſtes. neque nautæ quicunq; ſint, ſufficiunt contra ventum & fulmen pugnare.

Eth. HERACLIDES ANTISTHENI. XXVIII.

Nondum mihi de ira remiſiſti, Antiſthenes, & adhuc nobis es offenſus, & inducta verborum ſchemâ cælas offenſam, vt illi qui ſcintillam ignis concludunt in fauilla? expurga poſthac cordis fœditatem, quod à te petunt ſermones noſtri, ſi minus mari es inhumanior. Sopit enim iſtud feritatem,

& nautis

& nautis humanam faciem exhibet, quando oleô illinunt iactatum nimiis æſtibus.

Ruſt. LACHANO PEGANONI. XXIX.

Veni ad me mane craſtino. Ibo enim ad vrbem, & conuiuium præbebo, amiciſſime: quia Nymphis & Pani Deo primitias gregis dedicaui. Nam benè nobis volunt ſerò tandem aliquando hi Dii, piſſybia mihi lacte ſunt expleta. Oues feliciter pepererunt, adſultant capræ propter abundantiam quaſi gaudentes. Deſiuimus cum paupertate certare, maleuola beſtia & moroſa. Lappæ in morem poſſidentibus adhæret. Affabile malum eſt, deſes & iners, ſubtriſte, ad mœſtitiam pronum, ad dolorem facile, inſomne, curarum amans, laborioſum, malorum inuentiuum, inglorium, aſpernabile, non inuidendum. neq; enim quis incidere velit in tale malum, niſi ſi Oreſtis furorem inſanire iudicetur. Abiicientes itaque ea quæ paupertatis ſunt cum ipſa paupertate, ad bona alia tranſeamus, commutatione facta cum animo & ſapientia.

Amat. RHODINA CALLIOPÆ. XXX.

Super amatoribus me differs, & calumniaris de partu relaxatam mihi diſtentionem turgiditatemque corporis eſſe cauillata. tu verò tuas fraudes occultas eſſe putas; quoniam immaturos, ô ſceleratiſſima, quos concepiſti fœtus occidis, & abortus præfers partionibus, per ocriora medicamenta viuis in ventre conceptibus enicatis, ſic quam homicida Medea immaniores committis cædes. Liberos iſti ſuos vt enecaret in cauſa fuit improbus maritus, fœ-

tus, fœminæ laudabili alias, & certaminum eius comiti. tu verò ne formam corrumperet mille ſtrages edis, meretricula. Quare deſiſtas inhumanitatem tuam tegere, & noſtræ pietati illudere: apud quas humanius eſt parere, quam aboriri. Scias verè etiam terram tibi iratam fore, & quin exigat occiſorum liberorum pœnas, haudquaquam neglecturam.

Eth. HEPHÆSTIO TALETI. XXXI.

Medica auis pauo Medorum quoque ſuperbiam eſt ſortita, magnũ aliquid tumidumq; de pulchritudine ſua ſentiens: in qua re tamen modeſtior videtur eſſe pauo fœmina. Pennas ergo veluti comas erigit, & illuſtriſſimam ſpeciem exhibet ſpectantibus, & formam orbicularem rotundat, mundumq; cœleſtem exprimit & oculis caudæ aſtrorum ornaturam repræſentat. Atq; hic mos eſt auium Medicarum gloriæ & elegantiæ plenus, ſed enim non inuident, ornatum ſuum, quibus exemplo ſunt pictoribus. tu verò tuis inſides libris, ac tuas virtutes contegis, & labores inoſtenſos ſinis, tantam vtilitatem nobis, qui caremus, inuidens. Si igitur inuidia quodammodo vos detinet, res eſt philoſopho indigna, & à tua profeſſione aliena. ſi verò pigritia editionem impedit, idem pateris cum viro aliquo ruſtico, qui multum ſudauit in excolenda terra; & cùm viget æſtas maximè, non decerpit ſpicas.

Ruſt. POAS AMPELIO. XXXII.

Agedum coniuncto luctu, ſenecio, comploremus. Huuius transſiliit, & malum nobis ſaltauit ſaltum

tum.totum agrum inundauit, & nouellas vites limo obſtruxit, ille durus maius autem hoc eſt malum;non vult ſceleſtus inde repedare. Libenter verò, & non ſine voluptate agellum habitat, & ex agro noſtro ſibi fecit cubile.amplius etiam eſt videre dignum lacrymis. Pro vitibus enim piſces colimus miſeri. cùm fluuio lubet, capimus: cùm lubet iterum, famemus: & magno aliquo dono donatus videor. vtinam æſtate nubes nequaquam euocemus,vt imbrem nobis largiantur in ariditatibus,ita enim iis, quæ poſſidemus, non priuabimur.fluuius verò per ſe ſatis oneroſus eſt. quod ſi imbres etiam auxerint, igne eſt intolerabilior, & nullo modo ferociæ ſuæ frenos ponit.

Amat. GALATEA THETIDI. XXXIII.

Laudo tuam prudentiam,& experientiam tuam nimiam admiror. Velut enim ex tripode aliquo Pythico futura mihi profata es,ac Lynceo acutius, profundioresq́; & immanifeſtas res peruidiſti.Callimàchus nos reliquit; auolat in altum euectus acerrimis ſatietatis pennis; aufugit à nobis ſceleſtiſſimus, & ſatietatem prætulit cupiditati, tu verò multa me monuiſti; Iuriiurando ne perſuadére Galatéa; Iuramento nihil eſt leuius, in amantibus. Iuuenes enim capti & inebriati voluptatibus amatoriis, non iam rectæ rationis dictamini obediunt, ſed faciunt & loquuntur quodcunque præſcripſerint amores. neq; enim pro ſuo arbitrio velle poſſunt,quod volunt. Perfidia fide videtur firmior & ſtabilior,& ad fallendum, Iuramentum magiſter eſt idoneus.

Eth.

Eth. THEMISTOCLES CHRYSIPPO. XXXIV.

Quoniam temperantia ipſis quoque fabulis eſt laudata, age ſanè Chryſippe, narrabo tibi fabulam non indecoram. Conuenerunt olim ad Iouem aues, legatione miſſa ad Olympium regem. Illud namq; ægrè ferebant aues, quod eſſent ſine Imperio, quodq; ſummo aliquo & bono principatu carerent: ac ideò ſordes & illuuiem multam ſibi contraxerant. Annuit igitur Iuppiter; & in opus ex conſilio res eſt producta, donumq; datum ſupplicibus admirandnm. Regia enim dignitas erat, quæ dabatur. quapropter ad fontes & lacus abire iuſſit aues, ablotum ſuas ſordes & aquæ commiſit inquiſitionem regis. Erat autem à Ioue propoſitus formæ decor & elegantia, vt quæ præſtaret eâ, rex diceretur. Lautæ itaq; aues omnes ad Iouem recurrunt protinus, oſtenditque vna quæque ſuam pulchritudinem. Graculus verò metuens informitati ſuæ, propriæ naturæ opificium interpolauit, alieno mundo ſe adornans. Sed arguit informitatem, noctua, fictitiumq; mundum prodidit. Cognitis enim inibi ſuis aliquot pennis, eas vt proprias abſtulit, & aliis auibus exemplo fuit, vt ſingulæ, quod ſuum eſſet, auferrent. ſic graculus rurſum factus eſt graculus. Fabula hæc, ô Chryſippe, veritatem quaſi inſonat, non exiguam temperantiam nobis interpretata. Sic enim homines qui ſumus, nihil horum quæ hic ſunt poſſidemus proprium. Sed viui quidem ad breue tempus fictitio ornamur cultu: exuimur verò mortui, iis quæ non ſunt noſtra. Deſpicias ea propter bonorum corporiſq; curam,

rei verò immortali ſis intentus, nimirum animæ, hæc etenim ſempiterna & immortalis: illa verò mortalia & ad breue tempus noſtra ſunt.

Ruſt. MYRONIDES MOSCHIONI. XXXV.

Aratorem bouem mutuo dedi Tucaniæ: quia ei integrum iugum non erat. at verò promiſit itidem ſui mihi quoque tauri vſum ſe facturum Tucania: quoniam & ego vno boue ſum deſtitutus. Mirus enim ille mihi taurus mortuus eſt, quando difficilis illa peſtis inter pecudes eſt graſſata. Bonus verò Tucania pactum fregit, & donec aſſequutus eſt quod voluit viſus eſt conditioni acquieſcere; ego autem tyrannicum hoc contagium fleo, non enim habemus boues ad arandum, & arandi tempus iam propinquauit. Tribunal igitur Tucaniæ parabo, & Iudices omnem hunc agrum conſtituam, & huius ille fraudis pœnas ſubibit, & ita docebimus iniurioſos & proteruos abſtinere malitia, vnius hominis calamitatem habendo temperantiæ magiſtram.

Amat. ERASMIVS LYSISTRATO. XXXVI.

Ludunt hominum genus, amores, & arbitrio ſuo ſubiiciunt eos, qui ſub Luna ſunt, pueri, vt pictoribus etiam in aliquo adſentiamur, alati, atque etiam bellum videre liceat. Sic enim alternis amores qui feriunt feriuntur; ſed in hac ipſa parte amplius peccauimus, quod & hoſtes ignorauimus, vt natura ſunt. Quam enim nullæ rationis eſt affectus, quo ego teneor? Melanippen Diodori neptem extra modum amo, quam ne per ſomnium quidem antè mulierem vidi, ſed audiui ſolum ab aliquo eam canere

ſiere mirabiliter; & in animam accepi vulnus, nequidquam læſus ab oculis, quod ſolitus ſum pati, Lyſiſtrate, nunc verò mihi ſunt & oculi & aures. talia natura amorum potuit. An igitur inſania quædam ſit in hoc commento, ignoraui hactenus. an verò phantaſia aliqua ſit, quod dictum mihi eſſe dixi, non conſtat, neq; vnus teſtis veritati ſufficit. Doleo verò ſimul ab anima, & non viſam amo. Panicoq; furori partim participare videor, & id inuiſum eſt, quod amo, & illa ſola opinio amatæ rei habuit eſſentiam.

Eth. EVRIADES CIMONI. XXXVII.

Promittis multa, & facis pauca, & linguam habes vehementiorem, quam actum. Sed ſi quidem ornatus verborum in admiratione apud te eſt, pictores lingua tua pollentiores exiſtunt; qui talia per tabulas effingunt, quæ natura facere non poteſt. quod ſi gaudere quoq; vides promiſſis auditores, breui quidem oblectas, non multo verò poſt contriſtas: id quod accidit iſtis tum multo moleſtius. quoniam & quæ in ſomniis apparent pulcherrima, non tantum nos lætos reddunt dormientes, quam triſtes cum expergiſcimus. Spes namque cum ſomno auolat. congruentes verò res adfer cum lingua, ne & amicis mentiendo reddaris inimicus, & inimicis vituperandi materiam præbeas, vt veritatis expers.

Ruſt. TETTIGON ORTYGONI. XXXVIII.

Quid igitur veſtem permutaſti, & perdices diſſipaſti? vinum tibi malo fuit. Vino etiam Cy-

clopis oculo poſitum eſſe dicunt Vlyſſem. quare niſi congregaueris, Tettigon, auiculas, tecum præcipitabo etiam me. Nam puerum intemperanter viuere, graue eſt; & ante patrem ſibi ſepulchrum comparare filium, nimis quam eſt grauiſſimum.

Eth. THETIS ANAXARCHO. XXXIX.

Non amare Thetidem potes, & Galateam. neq; pugnat enim cupido, neque diuiduntur Amores. Sed neque duplicatum ſufferre poteris amorem. Nam ſicuti terra duobus ſolibus foueri non poteſt: ſic vna anima, duabus amatoriis facibus non eſt ſubiecta.

Eth. SOCRATES PLATONI. XL.

Iniuriam patitur verò nemo, ſed omnes afficiunt iniuria, vnuſquiſq; eam ſibi ſponte inferens, ac voluntario. Virtutis enim & vitij ſumus Imperatores. Agrum tibi ademit Leonides: exceptis hiſce, & animæ tuæ nequaquam nocuit, damnum dedit Philippus, & annulum in ſuum commodum adſumſit, nihil iniuriarum intulit. Hæc enim aliunde acquiſita, & aduentitia, non ſunt noſtra, tuum filium rapuerunt barbari, nihil paſſus es mali. non enim in æternum poſſediſti puerum. nuper tibi non habenti natus eſt, & iterum non eſt, quoniam non eſt, ſed fuit, non igitur iniuriam inferunt, non patiuntur homines. & Homericum Cyclopem admiratus ſum, qui nulli ex iniuria nocere te dicebat, & erat ea paſtori elocutio, quæ eſt veritatis affirmatio.

Ruſt.

Ruſt. MARATHO PEGANONI. XLI.

Ciuilium moleſtiarum procellam fugiens,& ineuitabiles turbas vrbis; precio conduxi hunc agrum, & animæ inde recreationem arbitrabar futuram. Sed in maiora mala coniecti ſumus. Nunc enim rubiginem habeo infeſtam, nunc locuſtas: alias etiam grandinem, pruina verò corrumpit fructus, tanquam hoſtis inexorabilis, & ſudoribus meis miſer ventis gratificor. heu me infelicem! quo me vertam? quando labores ruſticos conduximus, vrbana appetimus: quando verſamur in ſtrepitu vrbico, ea quæ in villicatione ſunt, amo,& præſentibus abſentia ſemper potiora iudico. Moleſtiarum vna ſolutio mors eſt, ſiue naturalis illa ſit, ſiue rurſum manu facta, non igitur ſuffocationem adhibere pro medicamento reformido, Differre namq; mortem infortunatos, ſtultum eſt.

Amat. PERICLES ASPASIÆ. XLII.

Si dona quæris, non amas. non enim acceptant Amores munera; & eadem lege ſuos inſtruunt amantes. Si quidem igitur amas, dare potius, quàm accipere te conuenit, ſi vero bona appetis, & propter diuitias amorem ſimulaſti, animum lingua redarguit, vendens auro voluptates cuicunque cupienti.

Eth. DIOGENES DEMONICO. XLIII.

Arte illa facta fœmina, ſemiuir bis natus, ad naturam neutram neq; perfectus, nec vtilis, contumelia afficiendus venit Lydius Eunuchus. omnia

enim corporis membra linguam habere clamant non ingenuam, ego veò ſecundum Homericum Vlyſſem eiuſmodi tela non ſentio. Abſurdum namque foret, ſi muliebris ſexus herois animum percuteret. Latrare igitur & furere Eunuchis conuenit. quia priuati manuum vi, omnia volunt lingua agere. Noſtram verò amici lenitatem accuſant, quoniam contumelioſum non pœnis remunerati ſumus. Sic enim & aſinus ſi calcitrarit, non ei tribunal denunciabis, quod etiam idem à Sophroniſci filio Socrate pulchrè dictum eſt.

Ruſt. Pramides Corydoni. XLIV.

Cras conuiuium dabimus, omnia ad nuptias mihi parata ſunt, pulmentarium ex leguminibus, cicer, caricæ multæ, & mulſum, & placenta, & popana. ipſe autem adfer artificem iſtam fiſtulam, mela cantaturus omnes hymnos euincentia. es enim paſtoralis muſicæ peritus, Corydon. Conſilium enim cepi thalamum venereis voluptatibus ſollicitare vocibus exhilaratum tibiæ.

Amat. Leander Pyladi. XLV.

Nimis nobis aduerſantur amores, ego quidem amo, at amata odit. & quid agam miſerrimus? Non æqualem habent amorem lancem, & inæqualiter dependunt hominibus lacrimas. Si ergo iniuriam faciunt, Dei non nominentur: ſi nomen non mentiuntur, rectè iudicent, & dolores itaque mihi non iniquo modo diuidant.

Eth.

Eth. Diogenes Aristarcho. XLVI.

Macedoniam percuſit Alexander, Bucephalo inuectus equo. Eum verò equum narrant, neque freno dominari potuiſſe, neque manſuetis blandimentis emolliri. intractabile enim animal fuit, & quod tantum non voluerit non eſſe equus, & malum quoddam inacceſſum fuit, obuiiſque nimus ominoſum. vnde igitur aſcendit Alexander? immanitatem equus quaſi lenitate miſcuit mutata ſuperbia in ſubmiſſionem, vt videre fuerit temperantem intemperantem. neque enim fas fuit Alexandro repugnare. eſto itaque, Ariſtarche, tu quoque fortunæ obtemperans. Nam non Alexandro, ſed fortunæ obediuit Bucephalus.

Ruſt. Poemnion Arnoni. XLVII.

Vbera mearum ouium à lacte diſrumpentur. & mulgariorum neſcio vnde ſimus habituri ſatis. Quare da tu mihi quidem mulgaria: contra ego tibi dabo lac, magnis donis paruas relaturus gratias.

Amat. Chrysogona Terpandro. XLVIII.

Ne reprehendas probris inſectantẽ te amaſiam, & contumeliis. Suauiter enim ſæpè potiuntur voluptatibus amatores, ſæpè verò etiam plagis & vibicibus inſigniuntur. Si verò contumelia cæſus ægrè fers, neq; roſam carpes, qui ſpinam euitas.

Eth. Leonides Periandro. XLIX.

Miſertus eſt Priamum filius Theticlis orantem. Canos, n. hoſtiũ reueritus eſt Pelides, patriq; mor-

tuum dat filium, infeliciſſimo dono muneratus Priamum, & eius quidem audaciam ſum miratus, huius verò humanitatem laudaui. Fias mihi tu quoq; Æacides,& cani capitis miſerere lacrimas,filio mihi meo viuo reddito. Infelicitamur enim & nos, vt & Priamus. Te namq;, qui non es hoſtis, de puero rogamus lacrimis, non atramento epiſtolæ conſcribillantes litteras. Sed ſi quidem humanitatem tuam obtinere amas, anteuertat petitionem donatio. quod ſi verò ratio tibi non moderatur, ſed iraq; & tetricitas antiquiora ſunt,ad breue quidem lætus eris: triſtaberis verò magis, tam duri & à philoſopho alieni animi magnas aliquando luiturus pœnas,

Ruſt. CALAMO SPIRONI. L.

Si agricola eſſe conſtituiſti, turbis vrbanorum abſtine. ſi verò Rhetoribus, curiisq; ac tribunalibus ſtudes,remiſſo ligone,ſumtisq; calamo & charta, ad coruos ito,Senecio. Non enim ſycophantas homines, & id VIRI IVDICES crebrius iterantes,ruſticorum admittit politia.

Amat. RHODOPLEA HYPSIPVLÆ. LI.

Piræeum heri noctu fortè circuiui, & amatorem tuum cum Chryſippa vidi; & adoleſcens prælucebat facem; & qui ex amicis honoris ergo prærirent, anus erat Abrotonium. cum verò eam quæ ibat præ, alloquerer, rogauit amator tuus ne hæc palam quæ in tenebris facta eſſent, diuulgarentur. Igitur neq; iuranti, neq; blandienti credas. Linguæ enim dolus vtrum libet eſt fallax.

Eth.

Eth. SOCRATES CLEONI. LII.

Quando lupi magna præda potiti ſunt, & ſatietate ſibi temperant, abſtinent quodam modo ab agnis, & more iſto fero in humanitatem verſo mirabili quadam iuſtitia imbuuntur à ſatietate. cum ouibus enim vna paſcunt,& parcunt donec venter latrauerit. Sed tu lupis morem habes impudentiorem, & eo auariori multo es intemperantia, quando aurum catuziunt tui theſauri, non ſecus atque ebriis accidere ſolet: qui cùm vino ſaturati ſunt, tamen ſitiunt, & in ebrietate, ebrietatis augent vehementiam. propter enim ſummam copiam ad contrariam diſpoſitionem exhilarante ſimul & exurente vino, ebrioſi dilabuntur. apage intemperantem ebrietatem iſthanc intemperans, ne quandoque, ſi fortuna ea,quæ dedit,auferat, ad contrariam partem deuoluaris; talibus enim pœnis immoderatos caſtigat atque temperat.

Ruſt. MINTHES RHIZONI. LIII.

Fluuius Chryſippus agelli mei partem furatus eſt, & agro tuo vindicauit ſtultum quid committens, & vecors in re aliena ſibi poteſtatem facit. ſed ſi quidem tribunalis onus tuis humeris ferre non es par, donis fluuij ne fruaris, ſi verò alienis rebus gaudes, non multo poſt flebis priuatus & exutus tuis.

Amat. MEDEA IASONI. LIV.

Nihil ita poſitum eſt in ſtudio hominis, aut faſtidio, quàm affectio amatoria, vbi tibi lacrimarum

ſlumina, quæ ad pedes noſtros defudiſti? vbi auolarunt tibi mille iſta genera ſermonum illorum & verborum, aut ſubmiſſio, & humilitas? puto neque fœnerantes eiuſmodi ad fœneratores vti verbis, neq; vulneratum, quum in hoſtiles deuenit manus. Continua abiit inſomnia, matutina reliquiſti blandimenta, abieciſti mille preces, pacta iuramenta, quæ per admiſſorias fœminas mihi ſanciuiſti. ad aliam de ſubito puellam delapſus es, quemadmodum qui dormiunt indiſcriminatim ab vno in ſomnio relabuntur ad alterum. Laudo pictores. latos enim amores pingunt, & arte transformant id quod verè eſt, & fictionibus veritatem exprimunt.

Eth. Parmenides Chrysostheni. LV.

Experrectum quidem eſſe per omnia, immortalis naturæ proprium eſt, moderatè verò dormire, eſt ex iis quæ nos præſtare poſſumus, &, vt videtur, humanum. ſed vltra dormire quàm decet conueniens potius mortuis eſt, quã viuis. plurimas, Chryſoſthenes, tuæ vitæ partes abſtuliſti. ſemper enim dormis, & ab his locis te transfers, veluti quidam Vlyſſes extra habitatum nobis orbem exerrans, quaſi in Oceani vicem vſus ſomno; & neque ſurgentem neq; cadentem Solem videns.

Ruſt. Daphnon Ægiro. LVI.

Ficus tuæ in meum fundum radices extenderunt, ſub ditione tua amplius eſſe detrectantes. & iuriſdictione tua ſublata mihi donant ſuos prouentus, ad meos enim labores ſua ſponte transfugerunt. & id legis eſt ruſticis, & obedi moribus inveteratis

veteratis, ſenecio. quod ſi moribus noſtris vis contradicere, vt nouum te exiſtentem legislatorem, & recentem, exturbabimus, & extra limites noſtros eiiciemus, vt alienum.

Amat. BYRRHIA PHILONIDI. LVII.

Si amas, ne accuſa deformitatem amatoris, non enim poteſt non cæcutire amans anima. Nam peruicax eſt amantium inter ſe mutuo affectus. ſi non amas, quid fles, & ingemiſcis, & moleſtiam infers tibi ipſi voluntariam? vtrinque igitur peccas, modo quidem, vt amator non bonus; modo vt antagoniſta formidoloſus.

Eth. DAMASCVS ANTIGONO. LVIII.

Si vitæ pignora Socrates non habuit, pædagogus tuo filio non adſumatur. Vitæ verò pignora, intelligantur eſſe liberi. quem enim natura docuit eſſe patrem, eundem etiam pædagogum filiorum debere eſſe, fit veriſimile: reipſa diſcentem & generationis habitũ, & paterni in liberos amoris anxietatem.

Ruſt. CEPIA CORIANO. LIX.

Adiutor eſto mihi ſub meridiem, Coriane. Maceria namq; agrum interſepiam, malos enim viatores habemus, nec ſufficiendo ſum brutis ſimul animalibus atq; hominibus. Lepus vineas, eruca deperdit olera. De talpis verò quid dicam? horribile enim hoc eſt malum ruſticis, & hoſtis cui reſiſti non poteſt. quare te mihi adiunge, & partem laboris in te ſuſcipias. & ego rurſus iiſdem operibus compenſabo. Sic enim formicæ quoq; per mutuas operas, la-

ras laborem conficiunt, & maxima etiam quæque aggrediuntur.

Amat. ANTHE'A BRIONI. LX.

Omnia fœmineo ſexui ſubiecta ſunt; Laidem amat Diogenes; Soſtratam Phrygius; Philoſophiæ maieſtas periit; venerandos mores abiecerunt, ætheriam mentem reliquerunt, altum iſtud ſtudium ementiti ſunt; omnia euanuére, quæcunque olim illis ad exercitium faciebant. Intempeſtum verò ludicrum videtur eſſe mihi, virum ſenem, cano capite reuerendum, ſuperbientem venerabilitate, adoleſcentis meretriculæ amore captum. Ego verò Cachinnos, & riſum continere nequeo, quandocunque ſollicitor ab iſtiusmodi ſenecionibus. Multum enim olim damnarunt Venerem, &, quod amplius eſt, amantes inſanire furorem voluntarium, dixerunt, appetitu intemperantis animæ amores eſſe definientes, omnia ferre, ſapientis eſt. ſperare verò nimis eſt quam prudentiſſimum, nam multa tempus & fortuna poſſunt,

Eth. SOSTRATVS LYSISTRATO. LXI.

Poſteaquam pluribus & mirandis monitis ſæpè, Penelopæ quidem telam viſus ſum detexere, agedum tandem, age, & fabuloſam narrationem incipiamus, tuum enim fortè captum dicta penetrabunt. In nouellis arbuſtis cicada ſedens æſtatis tempore, cecinit; & ſuam ipſius Harmoniam ſentiens, eâ eſt oblectata. Formica verò meſſoribus aderat, & circa aream eſt verſata, & in terræ ſinus abſcondidit ſua cibaria, vt quæ formica prudentior exiſteret cicada

cicadâ. Tranſiuit igitur à Boreali parte Sol, abiit autumnal, & hyems deſcendit in terram. mare verò tranquillitatis ſuæ fidem fregit. nautæ portus, vt in quibus ſalui forent, ſunt amplexi, & ruſticus ſe ad ſuum recepit focum, ac formica in imis terræ viſceribus ex iis, quæ laborauerat, pabulum habebat ſufficiens. ſupplex verò cicada à formica petiit, vt partem ſibi daret repoſitorum. hæc verò melodam ablegauit à ſuis foribus, irriſam valdè ob pigritiam: eiq; in memoriam reuocauit æſtiuos cantus. Quapropter illi ceſſit cantus in famem: huic verò labor in luxum & opimitatem. Quadrat in te fabula, Lyſiſtrate. piger enim febricitante eſt infelicior, duplo tantum comedens, quantum diligens. apage igitur pigritiam, optime, conſpurcaſti enim naturæ dona, dum vires eiuſmodi roburque corporis, laborum exercitio neglecto, incultum præteris.

Ruſt. Tettigon Porphyrioni. LXII.

Felix vir eſt Corydon, &, vt videtur, fortunæ amicus. Vites vuis grauantur, pyri curuantur, ac decerpi volunt, oleæ pronutant in terram, & multitudine fructuum ramos cogunt. prata, ſpiſſa gramine area florentibus ſimilis ſulcis. & muliercula poſt omnia exhilarat coniugem. Tot enim habet pueros, vt Danaum & Ægyptum fœcunditate vincat, alius enim eſt ſubrumus; alius lactare deſtitit; alij verò repunt nondum rectâ inambulantes: aliqui balbutiunt, & dentes mutant: alij ad florem veniunt, & iam ſunt adulti. arundinum in modum, quæ diſpares collocantur in fiſtula, ætatum illi ordo con-

mine venationis dolos ſuos pertexit peſſimus. ſed neq; Lepus apud nos verſatur, neque dorcas errat, neq; bubali, neque cerui, neq; aliquid aliud eorum quæ ad venationem ſint vtilia. Metu enim carcerũ laqueorumq;, quibus capiuntur, arcentur hinc lepores: dorcades autem & bubalides, vicinorum leonum. & quid tandem tibi millegenera ferarum recenſeam, cum quibus ſimul etiam nos eſurimus? quod enim nulli homines hic ſunt nobis, quod nullæ feræ feris malo eſt. Quoniã itaq; tibi cognatio intercedit, & neceſſitudo cum iniurioſo iſto, Ciſſybie, fac quod eſt optimum, & tui ſermones eũ reddant modeſtiorem. Nam ſcito illum canibus lacerandum, ſi poſthac noſtros agros frequentarit. Iam verò canis fœmina cum filiis cuſtodit mihi agellum humana pinguedine expleri geſtiens.

Amat. PITHO HIPPOLYTO. LXVI.

Formam, non morum grauitatem amplectuntur potius amantes. Nam temperantiam non promittunt amores. ſed pulchritudine corporis, oculum intemperantem ineſcant. quare ſi propter mores Rhodocleam amas, non voluptatibus dominantur amores. Etenim ratione philoſopha telum venereum non tangitur.

Eth. ERATOSTHENES ÆSCHINI. LXVII.

Iuramenta deuoras velut holera, & ſi dentes comploſeris in numeratorem habere putas. adhæc expoſtulantibus de hac re tecum, obloqueris, *Lingua iurauit, mentem iniuratam gero:* non ſciens infrenẽ linguam, maiorem peccati ſubituram caſtigationẽ.

Quæ

Quæ enim ſermone peccamus, re vera luemus. Moderatam igitur ſeruato linguam, caueoſque vt non niſi cum veritate iures: nam cum leuis res videatur eſſe iuramentum: omni tamen onere grauius eſt. vnde Tantalus etiam punitus eſt, quoniam in rebus diuinis linguæ ſuæ non poterat moderari.

Ruſt. Sevtlio Coriano. LXVIII.

Cepi demum peſſimam vulpeculam, & captam diuerſis vinculis cuſtodio ſceleſtiſſimam, deducamque in publicum, Coriane ruſticis omnibus conuocatis, ac de hoſte triumphabo. & publicè ea pœnas accipiet, pro multis malis vnum ſubitura ſupplicium.

Amat. Calliope Laidi. LXIX.

Crobylo & cicada Gorgias ornatur, nondum pubeſcens. & ferocit propter formam, eſcamque doloris propónit nobis decorem. ego verò & ſenectam, & morbum, & triſtitiam tabulis inſcribillans, antè ianuam amentis deponam, ea enim habebit aliquando ſuæ formæ decoriq; aduerſaria.

Eth. Plato Axiocho. LXX.

Habenis equos dirigimus, & nauigamus alias quidem velis extendentes nauim: alias anchoris frenantes quaſi retinemus. ſic gubernandum linguam, Axioche, alias quidem ſermonibus exercendo, alias autem ſilentio conſopiendo.

Ruſt.

Ruſt. RHODON CYPARISSO. LXXI.

Lucanos iterum obueniſſe dicunt. ideo abiecta falce, haſtam & ſtimulum fabricabo, & artem bellicam exercebo. non enim nos ociari patitur Deus. mihi hyeme æſtas eſt gelidior. nam quid bello ſit horridius? vere adueniente fleui. quam comatus ager ſtat floribus, quam odoratus à myrtis agellus, quam ornata ſpiſſa iſta platanus? viret triticum. omnia mihi ad abundantiam feſtinant. ſed malum nobis dant hoſtes. exoptabilior enim iis enſis eſt aratro.

Amat. SOPATER TELESILLÆ. LXXII.

Niſi venereis voluptatibus inuenuſtam ſatietatem miſcuiſſet natura ſeruiret iam ſexus maſculus fœminino, Teleſilla. Non igitur ſuperbias, meretricula. Veneris mihi fax iam emortua eſt. neque dolores immortales amorum tela faciunt.

Eth. PROCLVS ARCHIMEDI. LXXIII.

Polypos dicunt in capturæ penuria, tricas ſuas deuorare, membra ſua nimirum miſerrima, tanquam opſonium reuera apparatum. Eduntigitur infelices membrorum ſuorum partes tenuiſſimas, & oſtenduntur comedones eſſe propriæ carnis. Vt verò Xanthippe non omnibus habere polypi mentem videaris, ſaltem ſanè ego illud eſſe credo certiſſimum. Tractas enim nimis inhumaniter tuum patrem, neque naturam veritus, neq; pœnam, quemadmodum barathrum timeri ſolet metuens. Sed ſi quidem reſipiſcas, immemorem prçteritorum ma-

lorum experieris Pronemeſin : ſi verò in furioſa iſta aurifame ineuitabili nempe malo perſeueraueris, æqualem Lancem Deus tibi trutinat & pueros habebis paternæ malitiæ imagines & ſimulacra veriſſima. Sic enim & viperini partus maternam impietatem excipiunt, prægnantem & alumnam aluum diſrumpendo.

Ruſt. Elapho Dorconi. LXXIV.

Fœcundus eſt ad fructus producendos, fimus pecudum. quare da mihi tuarum pecudum ſtercus. & contra recipies tu quoque precium beneficentiæ pyra, atque olera. ſic tuum munus gratiis ſplendidioribus remunerabor.

Amat. Aristoxenvs Polyxenæ. LXXV.

Meretriciis voluptatibus nihil inſtabilius eſt. infida ſunt oſcula labiarum tuarum. amor enim qui radices non egit, ſtatim marceſcit. ego temperantiam iſtam quę videtur vulgò inuenuſta, eligam potius. ſtabilitatem enim præfert, & dote emam nuptias. Nam fidem emere meretriciam, difficillimum eſt.

Eth. Diogenes Sotioni. LXXVI.

Parua hæc gloria tale quid videtur eſſe ſapientibus, quale quod videmus in ſomniis. & fictis fabulis inanior eſt, & peior: inſtabilis; leuis; ludus ſonis reciprocis Echus & ventis vanior. Hæc eadem & cùm abeſt, moleſtè nos habet. & cùm accedit, ampliorem triſtitiam facit. Etenim non multo poſt

poſt improba in cupitos ſuos deprehenditur: & ante eſſe tranſcurrit ad non eſſe. ne te concutiant fortunæ flatus: quæ ludit homines prout vult. Vanitates enim vanitatum ſunt res hominum.

Ruſt. Bvcolion Myronidæ. LXXVII.

Mazę tuum nepotem reddunt petulantem, Myronides. rubro panno buceta terruit. & vitulum amabilem iſtum præcipitauit. Æquales autem eius ex calamitate fecerunt ludum. ne præbeas puero duos chænices vlterius. Pueri enim & cum turgent à cibo, ſunt immodeſti,, & cum luxuriantur adhuc immodeſtiores.

Amat. Pericles Calliopæ. LXXVIII.

Virgineis potiri voluptatibus nimis & ſuprà modum eſt arduum. ego verò pigror hanc animā. & quid faciam? Pacificationem enim, cum ferit, non admittit amor. Ipſa controuerſiam hanc inter me & amorem diſcepta, ac da mihi calculum humanitatis. nam faſcinant amores, amare quidem concedentes, petiri vero auferentes.

Eth. Isocrates Dionysio. LXXIX.

Præcurſores, & lictores, & præcones, & ſedium altiſſimarum adeptio, philoſophiam obſcurant, & imprimis pollent ad ſeparandam ſ[illegible]mouendamq; virtutem. non mutaueris cum fortuna naturam. adhuc habes bulgam pelliceam. mortalis enim ab initio factus es. quid igitur inanem hanc gloriolam in tali luteo vtre inflaſti? ad magnam redactus es a-

mentiam miſer, & à naturæ cognitione diſtractus. ita alta fortunæ culmina deſiſtere te à priſtina rerum contemplatione coegerunt, & vt ab iſta moderata inſania recederes, præpararunt. Olim quod erat altum, tibi erat humile, nunc humile, & quòd terram tantum non radit fortunæ ſummus gradus eſt. Quapropter deſiſte à falſa felicitate & fugitiuam fortunam fuge. Nam cum præuideris inſtabilem, deſubitò ingruentem mutationem non ægrè feres.

Ruſt. CROMYLON AMPELONI. LXXX.

Ruſticis nihil eſt miſerabilius. premimur etiam à ventis, infelices. Deperdit nos Auſter. ſpicas mihi euanidas fecit. vitem læſit, & acinos corrupit. nec poſſum, eum qui me triſtat in ius protrahere. quare falcem & hamam abiiciam, clypeum & galeam, & enſem ſumpturus. ac miles fiam, & arte mutata fortunam experiar.

Amat. LEANDER CALLICOMO. LXXXI.

Si quidem inter homines auro quid ſit precioſius, doce; & maioribus donis emam voluptatem. quod ſi non, leuiori fruar precio tuis Gratiis. neq; enim Danaes habes formam; aut adeo ipſa es ſanctior, neque ego ſum Ioue ditior, qui auro emam virginitatem.

Eth. SOCRATES ALCIBIADI. LXXXII.

Poeſeos etiam luſus, pleni ſunt ſapientiæ. Cerâ Vlyſſis ſocios obturaſſe dicit aures Meletis filius, poſtquam

poſtquam nauigio aduecti fuiſſent ad intemperantes Sirenes. Laertis verò filium vinculis ſe conſtrinxiſſe, quaſi carcere quodam incuitabili. ſignificat philoſophiæ ſecreta. Sirenas enim puto poeſin fingere informes ac turpes voluptates. & admiror nimium in modum Homerum, commiſcentem rebus veritatem, & cyceona nectare ſuauiorem auditibus noſtris inſtillantem, non ſecus ac reuera notham aquam vino alicui generoſiſſimo miſceret. ſic enim neque fabulis fallemur, neque infinita incomprehenſibiliq; entium comprehenſione mentem inebriabimus. quare per ceram quidem ignorantiam; per vinculum philoſophiam intellexit. inde ſolum Vlyſſem, tam ſuauia, ſupra ipſos quoq; cycnos audiuiſſe carmina fingit, & vinculis perrupiſſe viam. In malorum enim perſpicuitate, conſiſtit virtus philoſopha: in voluptatum verò fuga, philoſophiæ è certamine comparatum tropæum. Quoniam itaque, Antimache, Vlyſſis errorem hæc vita exprimit, ac in mare turbarum miſer homo innatat, & circumſiſtunt nos Sireneorum cantuum voces, ventorum inſtar modo hinc modo alia nobis non bona intentant, Penelopéæ coniugem imitabimur, firmum iſtud virtutum & diuinum philoſophiæ vinculum prætendentes.

Ruſt. ANTHINVS AMPELINO. LXXXIII.

Appropinquat iam vindemia, & muſto ebrioſa ſunt acina. circumſpicias igitur qua potes optimè in via publica, & cretenſem tibi canem adhibeas comitem. viatorum namque manus continentes

non ſunt,ſed ad ruſticis ſudoribus iniuriam infe-rendam paratiſſimæ.

Amat. CHRYSIPPA SOSIPATRO. LXXXIV.

Amatoriis retibus nónne captus es, Soſipater, qui Anthuſam ames ? ingenuorum oculorum ſignum eſt,adoleſcentulam amare decoram, ne ingemiſce victus pulcritudine. maius enim oblectamentum inde capies. Amatoriæ lacrimæ,dulces exiſtunt. nam voluptate ſunt commiſſæ, quæ dolorem alias creant.& exhilarant Amores, cum triſtauerint. multiplicibus enim affectibus veneris ceſtus eſt inſculptus.

Eth. PLATO DIONYSIO. LXXXV.

Si mœrorem vis vincere,circui ſepulchra.& paſſionis inuenies remedium. & maximas hominum fortunas vlterius cinerem videbis eſſe nihil.

THEOPHYLACTI EPISTOLARVM
FINIS.

IACOBI KIMEDONCII, FILII.

CASTIGATIONES,

IN THEOPHYLACTVM.

In quæſtiones phyſicas.

IN proœmio dialogi, pag. 1. lin. 21. Μουσικῶν ἐπιβαίνειν θαλάμων) *Malim ego,* θυμελῶν. *mouent me illa, quæ precedunt proximè:* καὶ προσᾴδειν θεάτρῳ με διδάσκει. *Dicitur enim hic dialogus coram collegio philoſophorum aliquot, quaſi in theatro, & vt à metaphora non diſcedat, addit author* προσᾴδειν· *ſic epiſtola prima de cicada:* τερετίζει γοῦν ὁ μελῳδὸς βῆμα τὸ δένδρον ποιούμενος· θέατρον τὸν ἀγρόν· καὶ τοῖς ὁδίταις τὴν μουσικὴν ἐπιδείκνυται. *alio interprete ad locum hunc non eſt opus. nec melior eſſe poſſet.* βῆμα *appellat* pulpitum *ſiue* θυμέλην. *qui locus erat altus in orcheſtra quinque pedes, forma menſæ, ſiue altaris, vnde* Bacchi ea ara. *Suidas in voce* Σκηνή. ἵστι μετὰ τὴν ὀρχήστραν βωμὸς τοῦ Διονύσου, ὃς καλεῖται θυμέλη. *Iſidorus lib.* XVIII. *cap.* XLVII. Thymelici autē erāt muſici ſcenici, qui in organis & lyris, & citharis præcinebant. Et dicti Thymelici, quod olim in orcheſtra ſtantes cantabant ſuper pulpitum, quod Thymele vocabatur. *& cap.* XLIV. Orcheſtra autem pulpitus erat ſcenæ, vbi ſaltator agere poſſet, aut duo inter ſe diſputare. ibi enim poetæ comœdi & tragœdi ad certamen conſcendebant &c. *Facit huc, quod in eadem metaphora etiam poſtea perſeueret. Nam illa.*

εἰ δέ τι καὶ τῶν ᾠδικῶν ἔξω γινομένων ῥυθμῶν, ὑπηχεῖτε φιλοτίμως μοι τὰ λειπόμενα· *eſt enim ea vox è theatro, veniam petentium muſicorum. Simile de Nerone canente apud Græcos in theatro. cap.* XXIII. *Sueton.* Iudices autem priuſquam inciperet, reuerentiſſimè alloquebatur, omnia ſe facienda feciſſe, ſed euentum in manu eſſe fortunæ, illos vt ſapientes & doctos viros fortuita debere excludere &c.

lin.26, παραταξως) *lege,* παρατάξεως.

pag.2.lin.23. ἀπήγειλεν) ἀπήγγειλεν.

pag 4 lin.6. τῷ Κυρηναίῳ) *videtur eſſe hemiſtichium Callimachi Cyrenæi,*

Μηδὲν ἄγνωστον ἔχοιμι φίλῳ καλόν-

lin.22. ſcriptum eſt ἀνάγκη μετέχων. *pro,* ἀνάγκη μετέχον.

pag.5.lin.1. ὅτι) *Diſtinguendum,* ὅ,τι.

pag.5.lin.25. ἑτεράττα κόμαις) *Diſtendo,* ἕτερα τὰ κόμαις ἀετῶν παραπλησίως ταῦτα. *vel certè,* ἕτερ᾽ ἄττα.

pag.6 lin.22. τὼ χεῖρε πάσχων εὐθὺς τοῖς κάλοις *ἀφελκομένην, τὸν κύρτον) *Corruptus locus, ita reſtitui poteſt.* τοὺς θαλαττουργοὺς ἔφασκεν, εἴ ποτε ναρκῆ τῷ κύρτῳ ἁλῷ, τὼ χεῖρε πάσχειν, εἰ μὴ τοῖς κάλοις ἀφελκόμενοι τὸν κύρτον. *vel etiam,* εἰ μὴ εὐθὺς τοῖς κάλοισ.

pag.7.lin.23. ἐπὶ τοῦ φοίνικος τοῦ φύλου) *verba incluſa ſigni hoc ( ) ſunt ſuperflua.*

*lin.28.** ἐπειὰν δ᾽ οὐκ) *Nihil hic deeſt, nihil corruptũ, ſi ſaltem reponatur,* ἐπεὶ ἂν δ᾽ οὐκ.

pag.8.lin.1. ἐξικνοῦνται) ἔστιν) *Scribe totum locum ita:* ἐπεὶ ἂν δ᾽ οὐκ ἐξικνοῦντές ἐστιν οἱ ταύτης. *Philes* περὶ λύκων Ἀλλ᾽ ἔστιν οἱ.

pag.9.lin.3. ἀγροικότερον δὲ νῦν) *Græca phraſis indicat,*

cat legendum eſſe, ἀγροικότερος. ὁπότε παῖς μὲν τὴν ἡλικίαν, ἀγροικότερος δὲ τὸν νοῦν.

lin. 5. καὶ τοὺς ὄρων μοι] *Malo*, καὶ τὰ ὄρων μοι τὰ ὑψιλόκομα. ὑψιλύκομον, *vertex. ita ſapè alibi loquitur abſolutè.*

lin. 20. προσεπιστεύτοις] *Diſpungo*, πρὸς ἐπὶ τούτοις. *Sic vſus eſt hac particula, epiſtola 60.* καὶ πρὸς τοὺς ἔρωτας μανίαν ἐσεῖν αἱθαίρετον ἕκαστον.

lin. 25. καλῇ ὑπὸ] *Hemiſtichium eſt Homeri* ἰλιαδ. Β΄.

pag. 11. lin. 15. αδυνατεῖ προσεπτέρεις] *Per primam vocalem* προσεπαίρειν.

pag. 12. lin. 13. τῇ φύσει ὑσιώδαις] *Diſtinguendum*, χαλεπὸν γὰρ καὶ λίαν ἐρῶδες τῇ φύσει ὑσιώδαις, καὶ πρὸς *&c.* *ſupple* ζῶον.

pag. 15. lin. 17. καὶ παῖδα ὑποτίτθιον] *Lege*, ὑποτίτθιον, *quod vocabulum reperies apud Suidam, &* παῖδα ὑποτίτθιον *hic vocat, quem alibi* ὑπομάζιον. τιτθὴ *enim*, τιτθὸς *&* τίτθιον. *idem eſt quod* μαςὸς. *Pollux lib. 11. onomaſtici:* οἱ δὲ μαςοί, καὶ τιτθοὶ καλοῦνται, καὶ τίτθια· μάλιςα δὲ ἐπὶ γυναικῶν ἀπὸ τούτων, τίτθαι, αἱ θηλάζουσαι. *vide etiam Heſychium.*

lin. 19. τοῖς λογῷς] λαγῷς, *leporibus.*

lin 24. καθάπερ ἔφησεν ὁ Αβδηρίτης] *Democritum intelligit, quem verſimile eſt aliquid de Animalibus edidiſſe. præſertim cum in iis tam diligens ille ſtudium poſuerit vt patet ex longa illa elegantiq; epiſtola Hippocratis ad Demagetum.*

pag. 16. lin. 11. ὥραν θέρους] *Scribendum, non* ὥραν, *ſed* ὥρᾳ θέρους.

lin. 21. ὑποχούμενοι] *Lego*, ὑπηχούμενοι. *unde* ἠχέτα τέττιξ *Heſiodo. erratum contrarium fuerat in hoc Cleanthis verſu·* ἐκ σοῦ γὰρ γένος ἐσμὲν ὄχου μίμημα λαχόντες.

ἤχου enim pro ὄχου poſuerant.

lin.23. ἐξαίρειν ἔπιστη] *Malo*, ἔπεστι.

pag.17.lin.9. ὥσπερ ὁμήρῳ] *Hemiſtichium Homeri* μῦθος τ' ἄνδρεσσι μελήσει.

pag.18.lin.14. ὑποδὺς θεωρείας] *Supra quidem problem.ιγ'. de cicada femina, cur ſit muta verbo huic ferè ſimili vtitur.* καί τις ἐντεῦθεν μοι περὶ τεττίγων λόγος εἰσέδυ. *hoc tamen loco*, ὑποδὺς, *reponendum eſt.*

lin 15. ἐπὶ τὰς τῶν χαραδρειῶν ἐμφωλεύει νομάς] *Neſcio an melius foret*, ἐπὶ τὰς τῶν χαραδρειῶν ἐπιπολεύει νόμους. *licet vocabulum iſtud* ἐπιπολεύειν *vix apud alium reperias.*

lin.25, ὀφθαλμῷ δὲ μύει] *Expunge punctum. eſt enim dualis, vt vocant, numeri,* ὀφθαλμώ.

pag.19.lin.23 καὶ ὄμβρον] *Muta,* καὶ ὄμβρων ἀπειλεῖν ἐνδημίαν.

pag.20.lin.5. Πλυμιγεστάτη] *Puto*, πλημμιγεστάτη. *ex plurimis commixta. quam tamen vocem nondum reperi apud alios.*

pag.21.lin.1. ὦ φίλοτης] φιλότης. *typographicum mendum eſt.*

ead. τί τοῦτο] *Inſerendum arbitror particulum* δέ. τί δὲ τοῦτο πεπόνθαμεν.

lin.14. καὶ δριμυτέραν ἔχει] *Abeſt aliquid, quod addo.* ἐντεῦθεν δὴ καὶ δριμυτέραν τὸ μέλι ἔχει τὴν ὄσφρησιν. *vt dicat mel Atticum grauioris eſſe odoris, propterea, quod, quo abundat Attica, paſcatur thymo apis eius opifex. quemadmodum Ponticum mel amarum eſt, ab ſynthii cauſa, quod in Ponto crebrum eſt. quod de ſardo idem tradit Iſidorus.lib.xx.cap.* 11. ſardum amarum eſt abſynthij cauſa, cuius copia eius regionis apes nutriuntur.

lin.26.οἷα τινες μέλιτται] *Lucretius*:

Floriferis vtapes in ſaltibus omnia libant:
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea perpetua ſemper digniſſima vita,

pag.22.lin.5.οὐ Σωτίωνα] *Eſt ille Sotion, cuius fragmẽtum edidit* παραδοξολογουμένων *de fontibus, aquis & lacubus Henr. Stephanus, cum Ariſtotelis aliquot & Theophraſti opuſculis.*

IN HISTORIARVM PERIOCHARVM
EX PHOTIO.

Ex libro primo.

fol.24.lin.5.τὸ τρισάγιον] *Ioannes Langus, apud Nicephorum, lib.18.cap.* VII. τρισάγιον *vertit* ter ſanctum numen. *de eo totũ librum ſcripſit Iohannes Damaſcenus.*

lin 7.οὐ φοιτήσουσι χρόνοι] *Langus ibidem ita:* tyranni, impij tui temporibns non extabunt. *videtur legiſſe* χρόνοις, *non* χρόνοι.

lin.10.τὸ Σίρμιον πολιορκήσαντες] *Sententia ſuadet ſcribendum eſſe,* πολιορκήσαντας.

pag.25.lin.16.καὶ τὴν ἀποστολικὴν ῥῆσιν] ἀποστολικὴν ῥῆσιν *vocat, vtriuſq; canonis libros, tã veteres quam nouos.*

Ex libro ſecundo.

pag 26.lin.12.τὴν ἀχειροποίητον] *Eandem* ἀχειροποίητον, *etiam infra mox nominat, & lib.* III. *ſeditione militis contra Priſcum. videtur autem imago fuiſſe cælitus alicunde quod hodie de Mariæ Laurentanæ ſimulacro dicunt, delata: quam ex hoc loco conſtat fuiſſe ſummæ religionis.*

lin.21.κουαρτοπαρθῶν τάξεως] *Non opinor eſſe à Parthis compoſitam vocẽ, ſed a partibus. itaq; ſcribendũ eſſet,* κουαρτοπάρτων, *littera leniore. Quæ verò fuerit illa legio, ipſe autor ſubiicit.*

pag.

pag.28.lin.14. Σάπηρος τῶν στρατιώτου] *Saper hic dicitur, qui aliis Sapor. nomen eſt Perſicum. lib. 1. catalectorum Scaligeri, tit. 2. veteris poetæ carmen legitur, de eliciendis manibus Pompeii.*

Fata per humanas ſolitus pernoſcere fibras
Impius infanda relligionis aper.

Legendum eſt, Impius infanda relligione Saper. *id eſt*, perſa. *ſed mutationem horũ inter ſe nominum videbis infra ſæpius.*

Ex libro tertio.

lin.23. οὐκ ἀπέβη τοῦ ἵππου] *Contra tamen Xanthopulus Nicephorus, lib.* XVIII. *cap.* XI. *ex interpretatione Langi:* Ipſe quoque Priſcus in eo exercitus tumultu ingulatus fuiſſet, niſi equo conſcenſo Edeſſam fugiſſet. *at qui equo conſcenſo, qui nõ ex equo deſcenderat?*

lin.28. διὸ φεύγειν μὲν] *Corrige,* διὸ φεύγ. μέν. *& mox,* ἐν Κωνσταντίνῃ, *cum ſubdito puncto.*

pag.29.lin.18. Διασιττᾶ δήλω] *Euagrius & Nicephorus* Sittam *nominant hunc hominẽ, vt & ab hoc autore nominatur, vbi de eius morte agit. Emẽdandũ igitur diuiſis litteris.* δηλαδὴ Σιττᾶ, *vel etiã* Σιτᾶ. *nõ duplicato charactere.*

lin. 21. ἤτοι Σκλάβοι] Σκλάβοι, Sclaui. *eoſdem deinde ſemper* Σκλαβηνοὺς *videbis dici.*

lin. 25. πλησίον Νισικος] *Et caſus particulæ huius, & nomen vrbis, & autorum conſenſus, poſtulant vt reſcribatur,* πλησίον Νισίβιδος.

lin. 27. πίπτει γάρ Cecidit enim. *id eſt, occiſus eſt. ita enim vtitur hoc verbo epiſt.* XXII. *de Dario:* δηλαδή τοι τοῦτο ἐν τῇ πολέμου ῥοπῇ θεασάμενος πεπτωκότα Δάρειον. *at Nicephorus lib.18.cap.18.* Perſarum dux vna cum equo in terram deiectus, interiiſſet, niſi ex ſatellitibus quidam

dam eum in equum, quem ſecum ducebat, ſublatũ è prælio ſubduxiſſet. *non occiſum eſſe dicit.*

lin.28. ὁ τῶν περσῶν στρατηγὸς Φράτης] Φραώτης *alii autores ſcribunt, inter quos Philoſtratus.*

pag.30. lin.13. Δομεντζίολος δὲ] Κομεντίολος δέ. *infra verò etiam* τζούρουλον *dicitur, quod Nicephoro, ſi Lango fides,* τούρουλον *eſt.*

lin.14. καὶ Συμβάτιον] *Inconſtantia ſcriptorum.* Συμβάτιος *hic nominatur, qui tribus antè verſibus* Σαββάτιος. *Malo, ego vtrobiq; legi,* Συμβασίου *&* Συμβάσιον.

Ex libro quarto.

pag.31.lin.8. ὅπως τε ὑπὸ Βίνδου] *Lege* Βινδόου. *Semper enim* Βινδόης.

lin.15. καταμαχίζεται ἡ βασιλὶς] *Nimis noue poſitũ verbũ. legerẽ,* καταμοιχίζεται, *vt ſtuprũ intulerint regina, niſi viderem obſtare autoritatem Nicephori, qui coniugẽ cũ filio iugulatam dicit, ipſum Hermiſdam excæcatum.*

lin.14. ὃν ἐστήσαντο πέρσαι βασιλείας] ὃν ἐστήσαντο πέρσαι βασιλέα. *quem Perſæ regem conſtituerant.*

lin.17. ἐπὶ τὸ Κιρκίνσιον] *Scribitur hoc libello aliquando* Κιρκίνσιον, *aliquando* Κιρκλώσιον, *ſemel, ſed male, & vt opinor, vitio typographico,* Κιρκιώσιον. *Nicephoro ſemper* Κιρκήσιον.

Pag.32.lin.8. καὶ περὶ τὸν τοῦ Σίττα διὰ πυρὸς] *Nicephorus, non exuſtum, ſed in crucem actum dicit. vt & Euagrius lib.* VI. *cap.* XVIII. deinde à Martyropolitanis lapidibus obrutus, poſtea ab eiſdem in crucem actus. *nihilominus tamen etiam vri potuit: & eius rei exempla poſſent dari.*

Ex libro quinto.

pag.ead.lin.18. περὶ τὸ ὀκδακισθέντος] *Vera lectio,* ἐνδακισθέντος.

pag.

pag.33.lin.25. Πρόκου τῦ χαλκηδόνος] *Nicephorus Probũ nominat epiſcopũ Chalcedonẽſem, lib.* XVIII. *c.* XXVII. *eum nos quoq; hoc loco ſequemur,* πρόβου τῦ χαλκηδόνος.

pag. ead. lin. 27. * ἐν ἡ φάσματος] *Arbitror in exemplari, unde hæc deſcripta ſunt fuiſſe* ἐν ὗν, *vel tale quid, vnde factum deinde quod hic vides,* ἡ. *Legendum autẽ,* καὶ περὶ τῦ συναντήσαντος αὐτῷ ἐν ὕπνῳ φάσματος. *Mariã virginẽ apparuiſſe Choſroi per inſomnium, narrat* Niceph. *lib.* XVIII. *cap.* XXVII.

Ex libro ſexto.

pag.34.lin.22. Σιγγιδόνος] *Ita in poſterum ſcribitur huius vrbis nomẽ. at ſupra libro primo,* Σιγγηδὼν *legitur.*

Ex libro ſeptimo.

pag.36.lin.1 περὶ τῶν μαιρουσίων] *Punctum ponendum eſt ante* περὶ. *ſed aberrantem diſtinctionem aliquando, lector ipſe poterit animaduertere.*

lin.8. καὶ τοὺς Ἄγαρ τὸ ἔθνος] *Agarenos intelligit, qui deinde etiam Saraceni dicti.*

lin.9. καὶ τοὺς Κόλχ] *Et ea gens eſt barbara, ſuſpecta mihi tamen hæc vox. Nicephorus cap.* XXX. Sogor nationis, cum ſuo principe Tucoch, à Chagano ſublatas eſſe triginta myriadas. *Quare ſi no eſt falſa Nicephori lectio,* Sogor *ille vocat,* τοὺς Ἄγαρ. *& pro* τοὺς κόλχ *hoc loco ſcribendum* τὸν ὀχ.

lin.10. ἐπαναστάντα αὐτῷ τῦ Ρῦμ] *Niſi quis in his talibus hiſtorias inter ſe dilgenter conferat, multa certè nobis ille monſtra dabit. ſic hũc & illos locos nemo verterit, in hoc libello, niſi cum ingenti quadam* τερατολογίᾳ. *Sunt enim hic quæ diſtracta ſunt, ac ita porro committenda:* ἀλλὰ καὶ τὸν ἐπαναστάντα αὐτῷ Τερὸ μανελών. *vide Niceph. lib.* XVIII. *cap.* XXX

lin.13. καὶ περὶ τῦ Νουκει] *Idem Nicephorus eodem capite*

Mucri

Muctitas *hanc gentem nominat, ſi rectè habet Lang. verſio. Sed reliqua,* Οὔαρ καὶ χουνί *aliter apud eundem autorem reperias,* Οὐὴρ *nimirum &* Κουνί.

lin. 21. eo ordine legenda ſunt, ſublato puncto poſt χουβδάν. καὶ ὡς πολλή ἐστι περὶ τὴν λεγομένην χουβδὰν ἡ τῆς μετάξης γένεσις.

lin. 28. ὅπως τε ἦσαν Δου...] *Affecto huic loco ita fortè medeberis.* ὅπως τε Σικοῦνδος περὶ Πεισκουσταλεῖς. *nec video quid impediat.*

pag. 37. lin. 2. ὅτι τῷ ἐννεάδᾳ δεκάτῳ] *Diſturbatus eſt horum verborum ordo, ac ita, veluti Sorex, ipſa ſuo ſe produnt indicio. Locum totum ita conſtituendum dico:* ὅτι τῷ. ἐννεακαιδεκάτῳ ἔτει τῆς βασιλείας *&c. & vix eſt vt portentum hoc in aliud tempus conijciat Nicephorus. Otto certè Friſingenſis, non malus autor, apertè decimum nonum Imperij eius annum nominat. Annale* v. *cap.* vii. At Maurilius cum à perſecutione beatiſſimi papæ Gregorij non ceſſaret, xix. imperij ſui anno videt in ſomnis virum Monachico habitu, gladium in manu habentem, ad ſe terribiliter venire, ac eum moriturum pronunciare. *niſi quod in eo erret, quod in ſomnis apparuiſſe narrat, contra relationem aliorum.*

lin. 5. τῶν ἀνακτόρων] τῶν ἀνακτορείων.

lin. 8. περὶ τῆς συμβάντος λοιμοῦ] *Apage hanc peſtem. Non enim peſte, ſed fame laborauit exercitus, quod apparet ex ſequentibus, & Ottone Friſingenſi, citato loco:* Porrò exercitus à Mauritio miſſus, cum ob eius auaritiam laborarent fame, in ſeditionem verſi, Focam imperatorem creant. *Et hoc ergo eſt, quod e fame certius, quam fibris pecudum prædixit iſte Herodianus. Notum*

verò

verò eſt λοιμὸν *eſſe peſtem,* λιμὸν *famem. quare lubricus eo magis lapſus eſt.*

pag. 38. lin. 3. διαρμάτωνος] *Diuido, quæ coalita.* δι' Ἁρμάτωνος. *Theophylactus ipſe infra ſuis verbis, legatione V. Romanorum ad barbaros:* ὁ δὲ βασιλεὺς προσκαλεσάμενος τὸν Ἁρμάτωνα πρέσβιν χειροτονεῖ.

lin. 10. Αναρχίδου τοῦ Κνιδίου] *Lege,* Αγαθαρχίδου. *&c.*

Reliqua enim deſiderantur, diſiecta inter chartas Commelinianas.

F I N I S.

2
616.. 1- 3